

De Nonnullis S. Scripturæ Affectionibus, Occasione Dicti, 1. Petr. IV. 11.

Rostochii: Typis Joh. Wepplingi[i], [1714]

<https://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1860389945>

Druck Freier  Zugang



R.U.-theol 1714
Quistorp, Johann Nicolaus

Johann Nicolaus

DE
NONNULLIS
S. SCRIPTURÆ
AFFECTIONIBUS,
OCCASIONE DICTI,


I. PETR. IV. II.
SUMMO FAVENTE NUMINE,
AC
CONSENTIENTE VENERANDO ROSTOCHIENSIIUM
THEOLOGORUM ORDINE,
SUB PRÆSIDIO

JOH. NIC. QVISTORPII,
S.S. THEOL. D. UNDIQVAQVE CE-
LEBRATISSIMI, PROFESS. EJUSD. PUBL. ORD.
DEXTERRIMI, AD DIV. NICOL. PASTOR. FIDELISSIMI
ATQUE SUPERATTENDENTIS ECCLESIAE ROSTO-
CHIENSIS VIGILANTISSIMI,

PRÆCEPTORIS, STUDIORUM PROMO-
TORIS, IN CHRISTO PATRIS, ATQUE
PER MULTOS ANNOS HOSPITIS,
OMNI FILIALI CULTU, PIETATE, OBSEQVIO,
AD ARAM USQVE VENERANDI, SUSPICIENDI,
IN CELEBERRIMA AD VARNUM ACADEMIA
ANNO 1714. DIE SEPTEMBR.
COLLOQVIUM CIRCULARE PUBLICUM
PLACIDUMQVE INSTITUET

DANIEL MANNIUS, ELBING,
ROSTOCHII,

Typis JOH. WEPPLINGI, SER. PRINC, & ACAD. Typogr.



(1)

PRÆFATIO



Isipicienti mihi de Materia, quā post exactos in hac Musarum sede complures annos, in publica ventilarem Disputatione, varia quidem obversabantur Argumenta, eaquē non ingrata, partim ex *Theologia Polemica Recentiori*, partim *Morali*; malui tamen in Controversiis Antiquioribus meum exercere ingenium, quam recentiores sumere examinandas. Prævaluit in hac causa Magnif. Dn. Præsidis, Patroni, Præceptoris ac

Hospitis, cujus hospitio frui, quoad heic loci studiis incubui, a benigna mihi fuit datum fortuna, consilium, enucleationem Dīcti præsentis Petrii injungentis. Cujus voluntati tanto libentius debitum præstiti obsequium, quanto magis religioni duxi, tantæ quicquam oggerere autoritati. Equidem non sum nescius, grande illos adgredi opus, qui animum appulere suum ad conscribendam Disputationem; verum tamen tantum absuit, ut ea propter a meo declinarem proposito, ut potius eo ipso calcar adderetur, ad majora tendendi. Accedit quod Legibus Academicæ publicis, specimen quoddam publicum ab unoquoque requirerentibus, nullatenus deesse potuerim. Quinimo nec mihi ipsi deesse volui. Qua enim alia ratione studia mea qualiacumque Theologica probarem illis, quos benigna fortuna mihi concessit Patronis Studiorumque Amplificatores. Interim tamen veniam me apud Benevolum Lectorem impetraturum plenus confido, si non omnia, quæ par erat methodo, copia ornatuque fuerint deducta; malevolis vero aliquam sinistre judicandi ansam hoc Præfamine præcisum iri omni spero animi confidentia. Ut vero in Expositione Dīcti propositi eo facilius perveniam quo tendo, ordine certo erit opus. Itaque duas Disputat. hujus constitui Partes, alteram Exegeticam, Polemicam alteram, pro ratione temporis & instituti breviter consiciendas. Tu vero Benignissime Deus, qui es Fons omnis Sapientia & Scientia, depelle omnes intellectus mei caliginosi tenebras, largire sapientiam calitrus, quo verum Verbi tui sensum cœlestemque veritatem inquiram, inquisitam perpendam, perpensam ad nominis tui gloriam unice transferam. Sanctifica me in tua Veritate, Verbum tuum est Veritas, Amen.

A

S. I.

ANtequam ipsam Dicti propositi accedam Expositionem, libet illud cum in Fonte, tum in aliis Versionibus oculis B. L. subicere. Legitur autem illud 1. Petr. IV. 11. fluitq; sequentem in modum:

Textus Originalis:

Ἐἰ ὡς λαλᾷ, ὡς λόγια θεοῦ.

Versio Junii & Tremellii.

Quisquis loquitur, tanquam sermonem Dei loquatur.

Versio Erasmi Schmidii.

Si quis loquitur, (*loquatur*), ut eloquia Dei.

Versio Osiandri

Si quis loquitur, quasi sermones Dei (*loquatur*.)

Versio B. Lutheri

So jemand redet / daß ers rede als Gottes-Wort.

§. II. Facta sic præparatione, recensione, tum Textus Authentici, tum aliarum Versionum, pedem jam promoveo ad ipsam brevem ipsius dicti enucleationem. Nimirum S. Petrus, quem Eusebius H. E. II, 14. vocat τὸν κάρπρον ἢ μέγαν τῶν Ἀποστόλων τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν πάντων προήγον, sive juxta Versionem Latinam: *reliquorum omnium virtutis gratia principem* (puta non ratione jurisdictionis, sed ordinis) in antecedentibus Advenas dispersos ex Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia & Bithynia, in genere ad vitam Christianæ dignam fuerat hortatus, quam demonstrarent, ad Deum, sobrie precando, Proximum, impense diligendo, benigne suscipiendo, officioseque illi serviendo. Jam vero in specie in Dicto presentii Dispensatoribus variaz Gratia i. e. Ministris Ecclesiæ ostendit, quales sese gerere debeant, inqviens: *Si quis loquitur, ut eloquia Dei* (*loquatur*) Ut autem eo facilius sensum Dicti inquiram Petrini, considerandum venit (1) Subjectum seu is, quem S. Petrus obliget, ut sit λαλῶν ὡς λόγια θεοῦ. (2) Actus circa quem obliget S. Petrus ad τὰ λόγια θεοῦ. (3) Norma seu Regula, juxta quam τὸ λαλῆν instituentum.

§. III. Quod attinet Subjectum seu eum, quem S. Petrus obligat, ut sit λαλῶν ὡς λόγια θεοῦ, inficias ire non possum, primarie quidem intelligi legitime vocatos atque ordinatos Ecclesiæ Ministros,

qv

qvi 1. Cor. IV, 1. vocantur Oeconomi, Dispensatores Myſteriorum Divinorum. Quod vel inde conſtare poteſt, qvia S. Petrus in præcedenti verſu decimo expreſſe fecerat mentionem Οικονόμων τῆς πί- κίλης χάρις τῷ θεῷ & verſ. 11. Διακόνων, qvi vero nulli alii ſunt, niſi Ordinarii Eccleſiæ Miniſtri, in qvibus manifeſtatur ἡ πολυπικί- λος σφία τῷ θεῷ Ephes. III, 10. in qvibus pariter præter ipſam Vo- cationem ad munus Doctoris in Eccleſia Dei peragendum, etiam do- na requiruntur neceſſaria, qvorum Paulus meminit 1. Cor. XII, 8. & 10. illisqve primo loco adnumerat donum in Eccleſia loqvendi. In- terim tamen minus incongruum eſſe judico, ſi dixerō, ſecundario obligari etiam qvosvis Fideles, ut ſint λαλεῖν ὡς λόγια θεῷ, ſive ſint conſtituti in Statu Politico, ſive etiam Oeconomico. Id enim col- ligere licet ex præceptis Apoſtolicis in verſib. præced. hujus cap. pro- poſitis, qvæ in genere omnes fideles tangunt, ut abſtineant a Pecca- tis, qvorum inſignem contexuerat catalogum verſ. 3, ſtudeant Tem- perantiæ v. 7. Charitatem ſectentur v. 8. amentqve Hoſpitalitatem v. 9. Qvousqve enim ſe extendunt modo dicta Præcepta Apoſtolica. eouſq; etiam ſe extendit Præceptum περὶ τοῦ λαλεῖν ὡς λόγια θεῷ, niſi evidens ſit diverſitatis ratio, qvæ vero hic adeo nulla eſt, ut potius ſit clariffimum: Si Oeconomo Myſteriorum Dei i. e. Eccleſiæ Mini- ſtro non eſt fas aliud quid loqui, qvam qvōd λόγια θεῷ volunt, et- iam cuiſvis fidelium nefas eſſe, aliter loqvi, qvam ὡς λόγια θεῷ poſcunt. Si qvis ergo Eccleſiaſtica polleat dignitate, ſive ſit Epico- pus, ſive Paſtor, ſive Archidiaconus, ſive Diaconus, & loqvi velit, loqvatur ὡς λόγια θεῷ. Optime enim Gregorius Homil. 11. in Ezech. inquit: *Penſare debet Eccleſia Doctor, quid loqvatur, qualiter & quantum loqvatur. Si unum horum modo defuerit, loqvella apta non erit.* (a) Si quis Regia, Principali aliaque Maieſtate & Eminentia ſub- limis, modo ad Eccleſiam pertineat & regno cœlorum ſociari deſide- ret, loqvi velit, loqvatur ὡς λόγια θεῷ. Si qvis, qvi membrum Chriſti ſit aut eſſe cupiat, loqvi velit, loqvatur ὡς λόγια θεῷ, cum in pantocritico ab omni inutili loqvella ſit reddenda ratio. Matth. XII, 36.

S. IV. Equidem inſenſiffimus ille veritatis hoſtis Socinus, qvem multi Veteres pariter ac Recentiores Fanatici ſeqvuntur, in Tract. ſuo de Eccleſia p. 14. autumat, in hocce Diſto invincibile latere argumen- tum,

A 2

(a) Paræus Comment. ad h. l.

tum, quo probetur, quicumque absque pravia legitima vocatione licite posse in Ecclesia Dei publice docere ac loqui, modo qui loquitur, loquatur tanquam eloquia Dei. Verum optime ipsi satisfecit immortalium meritorum Theologus Gerhardus (a), quem etiam allegat Prücknerus, in Vindiciis ad h. l. respondendo: Dictum hoc Apostolicum cum illis Paulinis Rom. X, 15. Ebr. V, 4. conferendum, & ita limitandum esse: Si quis vocatus est & accepit dona potestatemque, ut publice in Ecclesia doceat, loquatur ὡς λόγια Θεῶν. Tantum ergo abest, ut Adversarius falsam suam ex dicto hocce Petrino possit stabilire hypothesin, ut potius ex collatione dictorum modo citatorum contrarium abunde satis pateat, cum impossibile sit, ut Petrus, qui pariter Περιμενος ὑπὸ πνεύματι & λόγῳ 2. Petr. I, 21. locutus est, Paulo contrarietur. Interim tamen quoque immota veritatis est, prouti in præcedentibus fuit ostensum, nullum fidelem, licet extra officium publicum docendi constitutum, ab hocce Præcepto Petrino eximi, potius obstringi, ut si quicquam loqui velit, loquatur ὡς λόγια Θεῶν.

S. V. Missio Subjecto seu illo, quem S. Petrus obligat, ut sit λαλῶν ὡς λόγια Θεῶν, pergo jam ad Actum, circa quem obligationem ad τὰ λόγια τῶν Θεῶν faciat. Is est τὸ λαλῆν. Equidem S. Petrus Actum illum, circa quem obligationem facit, non exprimit; attamen unicuique facile licet colligere, Ellypsin verbi τῶν λαλῆν ex præcedentibus esse supplendam; scil. h. m. Ἐῖς τὰ λαλῆν (subintellige λαλῆν) ὡς λόγια Θεῶν. Si quis loquitur (loquatur) ut Eloquia Dei (b). Quare etiam B. noster Megalander Lutherus, sensum respiciens, optime vertit, repetendo verbum, quod pro complendo sensu faciat: So jemand redet/das ers rede als Gottes Wort. Ut vero Actum circa quem S. Petrus obligationem faciat ad λαλῆν ὡς λόγια Θεῶν, eo melius cognoscamus, non inutilem me suscepturum laborem existimo, si in variam Vocis τῶν λαλῆν significationem, operam inquisiverim accuratiori.

S. VI. Scilicet Vox λαλῆν apud Autores Profanos sæpe quis dem

(a) Comment. in Epist. Petrin. p. 642. (b) Conf. Gerhards Comment. ad h. l. p. 624. Prücknerus in Vindic. Erasmi. Schmidius in Versione N. T. Beza in Annotat. N. T. ad h. l.

dem in malam accipitur partem, ut idem sit, ac temere & incon-
derate, citraque delectum verba effutire (a); in N. tamen Testamen-
to in bonam sumitur partem. Hebr. I, 1. Varie autem hanc vocem,
sensu quidem bono usurpari, varieque etiam construi, refert prolixè sa-
tis Celeberrimus *Flacius* (b), ostendens Vocem λαλέειν, cui in He-
braeo respondeat vox דבר, in Latino Loquor, in Germanico vox Reden/
a Græco Εἶπεν, cui in Hebraeo respondeat דבר, in Latino Dico, in Ger-
manico Sagen, plurimum differre, ita ut Vox Loqui, sit generalius ac de
omni locutione dicatur; Dicere vero specialius & tum maxime usur-
petur, cum quid magis serio veniat agendum. Attamen vocem λαλέειν
generalem sæpe pro speciali poni, atque interdum idem significare ac
celebrare Psalm. XXXV, 28. interdum idem denotare ac consulere, in-
terrogare. Num. VII, 89. In constructione cum alia voce significare,
loqui grata ac frivola Gen. XXXIV, 3. I. 21. 2. Samuel. XIX, 7. Esa. XL, 2.
Interdum, juxta sententiam eruditissimi *Krauseri*, per venustam Synech-
dochen idem significat ac docere, concionari, Verbum Dei prædicare,
quod proprium est Sacerdotum vel Ministrorum Ecclesiæ. Quid in sensu
occurrit de Christo, omnium Doctorum maximo Joh. VII, 26. παρρη-
σια λαλεῖ καὶ οὐκ ἐκ δαίμονος, palam loquitur i.e. docet. III, 11. ὁ ὅς δα μὲν λαλεῖ μὲν,
quod novimus loquimur i. e. certa & cognita docemus. VII, 17.
ἀφ' ἐαυτοῦ λαλεῖν a se ipso loqui i. e. docere doctrinam quæ non ha-
bet Deum Auctorem. Nec minus de Spiritu S. homines docente & in
omnem veritatem ducente. Joh. XVI, 13.

S. VII. Evoluta igitur varia vocis τὸ λαλέειν significatione, non
iniquè disquiritur, de quanam Loquela S. Petro sit sermo. Atque ita
diffiteri non possum, eum principaliter quidem agere de Loquela Publi-
ca Doctorum & Ministrorum Ecclesiæ, quam exercent in Concionibus,
congressibus & conventibus publicis, ad fidem & religionem homini-
bus, per prædicationem Verbi implantandam, atque exigere, ut in
illis, si quando verba ad populum Dei sunt facienda, non temere at-
que inconsiderate loquantur, contenti, si modo horulæ alicujus spa-
tium loquela quadam, licet inutili atque ad ædificationem populi pa-
rum aut nihil faciente, triverint, in quod loquelæ genus doctissimus

A 3

&

(a) Conf. *Roberti Constantini Lexicon Græco Lat.* T. II. p. 156. Leigh. Crit. S.
p. 157. (b) *Clav. Script.* ad hanc voc. P. I. p. 382. (c) *Phosphor. N. T.* ad h. v.

p. m. *Ossander* (a) vehementer invehitur, scribens: *Non in suggestu eorum populo recitanda sunt aniles aut scurriles nugæ; multo minus Philosophica & humana rationis dogmata adferenda sunt.* Sed ut, fufis ante omnia ad Deum precibus ardentissimis, privatim sedulo meditentur ac talia loquantur, quæ officio eorum, quod gerunt, & loco, in quo verba sunt proferenda, maxime futura sunt digna. Quo etiam tendit monitum S. *Augustini* (b) scribentis: *Sive apud populum, sive apud quoslibet jamjam dicturus aliquis, seu quod apud populum dicendum, vel ab eis, qui voluerunt aut potuerunt, legendum est, dictaturus, oret, ut Deus sermonem det in os ejus.* Nec etiam loquantur verba propria, meram humanam sapientia eloquentiam, captum rudis populi mirum, in modum superantia, atque ad fundum cordis nullatenus pervenientia; quod genus loquelæ jam suo tempore pientissimus *Mengerlingius* (c) haud leviter exagitat, scribens: *Die Predigten müssen mit krausen/prächtigen Worten / Formeln und Arten zu reden nach der Welt manir und plaisir eingerichtet werden.* Et acutissimus quondam hujus Academiae Doctor ac Profess. Dn. *Müllerus* (d) simile de ejusmodi formata loquela publica fert judicium; *Heute trabet man mit hohen Worten herein / schmücket die Rede mit vielen poettschen Blumlein / und süßret so kunstreiche Discurse daß sie der tausende Mensch nicht begreiffen kan / das süßet zwar die Ohren aber nicht das Herz.* Plura vide in B. D. *Grapii*, Præceptoris mei, dum viveret, etiam post fata, summa cum laude nominandi, *Disput. de Concioniis, Artificiois & Alamodiciis*, §. XII. Et, qui primo loco ponendus non inandusve erat, in *Magnif. Dn. D. Fechtii*, Præceptoris & in Christo Patris mei omni filiali observantia colendi, quem divina clementia, evocatis paucis abhinc annis quam plurimis viris, a parte Ecclesiæ Orthodoxæ strenue stantibus bella, quæ domini animo gerentibus intrepido, adhuc diu in afflictæ nostræ Ecclesiæ solatium velit habere atque servare sospitem, *Disp. de Principis Orator. Eccles. in Perorando Virtutibus*, Aph. V. p. 1. sed ut postpositis humanæ sapientiæ verbis, populo Dei ad cor loquantur Esa. XL. 2. ac talia proferant, quibus indocta plebs possit informari, corrigi, moneri atque in variis afflictionibus consolatione sufficientissima erigi.

Sequen-

(a) *Bibl. P. 3. ad h. l.* (b) *Libr. IV. de Doctr. Christ. c. 30.* (c) *Scrutin. Conscient. c. 19. p. 1339.* (d) *In der Schluß-Rette p. 299.*

Sequentes Magnum Gentium Doctorem Paulum, qui 1. Cor. II. 14. de se ipso fatetur, *se non venisse ad Corinthios in sublimitate sermonis aut sapientia; neque predicationem suam in persuasibilibus humana sapientia verbis fuisse, sed in offensione Spiritus & virtutis.* Verum enim vero minus principaliter etiam Loquelam singulis Fidelibus competentem, Petrum intelligere, in propatulo est. Nam & illis quotidie exercenda venit Loqvela, præprimis erga Deum, quoties nempe preces sunt fundendæ. Oratio siquidem nihil aliud est, nisi Loqvela hominis cum Deo, in qua vel optima quæque ab ipso expetuntur, deliberatione, ac consultatione quasi in antecessum de rebus suscipiendis cum Deo facta, vel mens grata, bonitatem Dei celebrans, pro concessis aperitur atque offertur. Quam Loquelam sancti Dei Homines sapissime omni confidentia & animi patientia exercuerunt, quos magno numero ex ipsis S. Literis allegare facillimum esset, nisi brevitatis studiosus, omnem prolixitatem merito vitandam censerem. Citasse tamen sufficiat præ ceteris duo exempla, *Davidis in Psalmis & Pauli in Epistolis.* Ad horum igitur exemplum exigit Petrus, ut omnis fidelis suam instituat in precibus loquelam, nec quicquam cum Deo loquatur, nisi quod sanctissimæ ipsius conveniat voluntati; nulli operi unquam admoveat manus, nisi prius, consilio quasi cum Deo inito, felicem rei gerendæ sibi expetierit eventum.

§ VIII. Neque vero homini fideli Loqvela venit exercenda solummodo erga Deum, sed etiam erga alios Homines, cujuscunque status, sexus aut conditionis sint, prouti illud, sive confessionis, sive charitatis, sive ædificationis, sive alia quæcunque exigit necessitas. Atque tum constans hæc est S. Petri sententia, ne unquam & hac occasione temere & inconsiderate multo minus scurriliter loquantur, *sed ut cœrceant linguam suam a malo & labia, ne loquantur domum, juxta monitum alibi factum, nempe 1. Petr. III. 10. Ne egrediantur turpis loqvela ex ore eorum Coloss. III. 8. Sed ut sibi metipsis loquantur in Psalmis, & Hymnis & Canticis Spiritualibus. Ephes. V. 19.* Neque tamen hoc Petri monitum spectat præcise tantum ad τὸ λαλεῖν atque dicenda, sed includit etiam τὰ πιστεύειν atque credenda, comprehenditque cogitationes & operationes Spirituales in genere omnes. Quod non sine probabilitate licet colligere ex Pl. CXVI. 10. Obligatio proinde Petri occupata est, circa varios spirituales fidelium actus, nempe

sempe Credenda, Differenda, Confitenda &c. ad certam eamque infallibilem trutinam ac regulam expendenda, amussitanda.

S. IX. *Regula* autem seu *Norma*, juxta quam τὸ λόγιον pariter ac πιστεύειν instituendum desiderat S. Petrus, sunt τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ. Nolo jam prolixius inquirere, partim in Vocis τῶν λόγων originem & derivationem, partim in variam ejusdem apud Autores Græcos aliosque acceptionem, de quibus vid. Flacius (a), Drusius (b), Estius (c), quorum sententias in compendio nobis sistit Leigh. (d); nec etiam prolixus ero, in adducenda distinctione Græcis usitata inter λόγια & ῥησμοὺς de qua distinctione videri possunt Hemmingius (e) Waleus (f) & si libet Robertus Constantinus (g): sed potius mearum partium ducō evolvere, quid hoc loco per λόγια Θεοῦ veniat intelligendum. Atque tum extra controversiam est, per λόγια Θεοῦ nihil aliud intelligi, quam universam Scripturam S. Canonicam seu Verbum Dei, quod in Sacris nomine λόγων Θεοῦ frequentissime insignitur. Vid. Aretius Com. in N. T. super Rom. III, 3. ubi cum de Prærogativa Judæorum præ Gentilibus agit, eam quoque ex eo probat, quia ipsis sunt concredita divina Eloquia. Provoco insuper ad Actor. VII, 38. ubi λόγων ᾤοντων fit mentio; ad Rom. III, 2. ubi Judæis dicuntur fuisse concredita λόγια Θεοῦ, quos propterea S. Augustinus in Psal. 30. *Gentilium Scriniarios seu Bibliothecarios* appellat, referente Balduino (h) Walthero (i) Tossano. (k) ad Hebr. V, 12. ubi ratione Perspicuitatis Paulus dividit Scripturam S. seu λόγια Θεοῦ in ἡ συντομία τοῦ λόγου seu λόγον τῆς ἀρχῆς & λόγον τελείων seu τελειότητος. Quin imo & in V. T. λόγων Θεοῦ sermonum, vel Eloquiorum Dei sæpissime fit mentio Num. XXIV, 4. & in Psalmis Conf. Polus (l) Sed quid opus, ut conquisitis aliunde testimoniis, sententiam meam per λόγια Θεοῦ Scripturam S. intelligi, roborem, cum Petrus ipse optimum

(a) *Clav. script. ad hanc Voc.* (b) *in Præter. ad Rom. 3. v. 2.* (c) *in Rom. 3. v. 2.* (d) *Crit. sacr. p. 196.* (e) *In Comment. supr. Rom. III, 2.* (f) *in Comment. N. T. ad Act. VII, 38.* (g) *in Lexico ad Voc. λόγιον.* (h) *Comment. super Rom. III, 2.* (i) *Harmon. Bibl. super Rom. III. p. 1049.* (k) *in Hypomn. super Rom. III. (l) Synopsis. Crit. Vol. V. p. 1452, ad h. l. Id. in Bibl. Crit. T. V. p. 1721.*

mum Vocis ejusdem agat Interpretem. Ille enim 2. Petr. I. 19. 20. λέγει ἵνα ἡμεῖς interpretatur *Sermonem Propheticum* seu Prophetiam Scripturæ.

§. X. Atque secundum hanc *Normam* seu *Regulam* omnia, Credenda, Dissiderenda, Constatenda &c. amussitanda cupit S. Petrus. Hinc adjicit non sine Emphasi particulam ὡς: Ἐι τις λαλεῖ ὡς λόγιον ἱερῶν. Quæ particula, respondens Hebræorum וְ, varias quidem patitur significationes, ut interdum sit nota Comparationis & Similitudinis, ubi res duæ diversæ in aliquo tamen similes inter se conferuntur Joh. I, 32. XV, 6. interdum etiam nota Temporis & idem denotet, ac Cum, Dum &c. Luc. IV, 25. Galat VI, 10. (a) In præfenti tamen nostro Dicto est particula, non similitudinis, nec temporis, sed Veritatis, quemadmodum & hunc significatum obtinet Joh. I, 14. Luc. III, 23. 24. 2. Cor. II, 17. Jacob. I, 10. (b) Eo igitur tendit S. Petrus præcepto de instituenda loquela hanc adjiciens particulam, ut manifeste demonstret, exponente etiam ex *Reformationis* ita olim optime *Marlorato* (c) quod non sufficiat Ministro Ecclesiæ profiteri, illud, quod loquitur, esse Verbum DEI. Nam & hoc olim Pseudo Apostolis tritissimum erat, qui veri Ecclesiæ doctores videri volebant, cum tamen nihil minus essent; sed, si Minister Ecclesiæ legitime suo velit fungi officio, ut nihil nisi Eloquia DEI & doctrinam, Verbo DEI in Scripturis S. propositò, consentaneam, proferat. Solum enim DEI Verbum de Voluntate DEI & quæ ad salutem nostram faciunt nos instruere potest. 2. Tim. III, 15. 16. Solum DEI Verbum vivum est & efficax. Hebr. V, 12. Solum DEI Verbum potentia est ad salutem Rom. I, 16. Cui sententiæ quoque optimus fer-

B

me

(a) Conf. Flacius Clav. Script. Leigh. Crit. S. p. 364. (b) Vid. Calovius Bibl. Ill. T. V. p. 1516. Gerhard. Com. ad h. l. p. 634. m. 4. & ex eo Prucknerus in Vindic. ad h. l. Add. Dn. M. Ferberi, olim Adjuncti Witteb. dignissimi, Faustorisque nostri astutissimi Disput. sub Praesidio Magnif. Dn. D. Fechtii ante triennium ferme hic Rostoch. habita; de admiranda in Christo decenda virtute §. VIII. (c) Comment. in N. T. ad h. l.

me inter Pontificios Scripturæ Interpretes, *Estius* (a) accedere non dubitat, cujus verba, cum & in hoste virtus sit laudanda, circa finem hujus Sectionis, prouti ea quoque *B. Calovius*, (b) acutissimus Theologus, in *Bibliis Illustratis* ex ipsius *Estii* Commentario allegat, subjicere non erubescō. Ita autem ille: Si quis accepit a Deo gratiam elocutionis seu sermonis (quo referenda sunt, quæ Paulus memorat Rom. XII. & 1. Cor. XII. sermo sapientiæ & scientiæ, donum prophetiæ, donum exhortationis, interpretationis &c.) & ad hujusmodi munus aliquis in Ecclesia vocatus, is loquatur, id enim supplendum, quemadmodum supplet Syra Paraphrasis, tanquam Dei Sermones, cujus in functione Minister est & Vicarius, nihil proferat, quod Verbo Dei vel scripto vel tradito non sit consentaneum, non hominum commenta doceat, non falsa miracula referat, non inutiles quæstiones tractet, sed Dei Voluntatem ex Eloquentiæ divinis annunciet.

Sectio II. Polemica.

§. I.

Vero igitur dicti præsentis pervestigato sensu, brevique ejusdem Sectione Exegetica ad colophonem perducta, pedem jam ulterius promovens, sisto Tibi L. B Sectionem Polemicam, in eaque Porismaticæ ex Dicto nonnullas Scripturæ S. Affectiones propositas. Labor equidem facillimo foret expeditus negotio, si omnes, siue primarias siue secundarias, quas Theologi nostri in Compendiis & Systematibus alias solent inculcare Affectiones, ex meo vellem deducere Dicto; verum temporis brevitatisque rationem habens, animus est mihi, hac vice tantum quinque Scripturæ Affectiones revocare sub examen. Quarum prior erit, *Facultas Normativa*. Sit ergo,

Porisma I. Scriptura S. V. & N. T. est Norma omnium Credendorum, Agendorum atque Dicendorum, tam in publico Ecclesia cœtu, quam privato.

§. II.

(a) in Comment. super Epist. Pauli & reliquas Apostolorum pag. 1188. ad h. l. (b) Conf. Calov. Bibl. Illustr. T. V. 1516.

§. II. Præsuppono vero sermonem mihi non esse de *Norma Partiali*, *Inadæquata*, *Dependente & Normata*, sed de *Norma Totali*, *Adequata Independentē & Normante*. His præsuppositis dico: Scripturam S. V. & N. T. esse Unicam Normam Totalem, Adæquatam, Independentem & Normantem omnium Credendorum, Agendorum Dicendorumque, tam in publico Ecclesiæ cœtu, quam privato. Pro adstruenda Theses hujus veritate, sequens ex dicto meo elicio Argumentum.

Ad quodcumque S. Petrus omnia Credenda, Agenda Dicendaque, tam in publico Ecclesiæ cœtu, quam privato, cupit amussimanda, illud necessario debet esse sufficiens Norma Credendorum, Agendorum Dicendorumque, tam in publico Ecclesiæ cœtu, quam privato. Atqui ad λόγια τῆς ἑκκλ. S. Petrus &c. Ergo.

Major in argumento hoc sua radiat luce, nec ulla indiget probatione. Minorem quod attinet, probatur ea ex clarissimis dicti mei verbis, in quibus S. Petrus expresse mandat, ut, *si quis loquatur*, Scripturam tanquam Normam sequatur, atque juxta eam suam instituat Loquelam. Jam vero si in τῶν λόγων hanc observari vult S. Petrus Normam, sequitur, quod etiam in Credendis & Agendis, utpote quæ sub voce λόγων comprehenduntur, prout præcedenti Sect. fuit demonstratum, huic Normæ sit unice inharendum. Est enim semper vera, semper obligans: Ἐν ᾧς λαλεῖ ὡς λόγια ἑκκλ. Nec alio casu quicquam Credi, Agi aut Disseri potest aut debet, quod huic Normæ videatur contrarium.

§. III. Hanc Facultatem Scripturæ Normativam præterea Theologi variis solent probare argumentis, quæ omnia huc adferre, proposita Disputationis brevitatis non permittit. Id tamen mearum erit partium, ut tribus (quæ numerus ternarius deinceps quoque in probandis subsequenter τῶν λόγων Affectionibus ex Dicto meo deducendis, mihi veniet observandus eandem confirmem, L. B. ad varia Theologorum remittens Scripta ac Systemata. *Primum* vero eorum desumitur a *Nomine*. Expresse enim Sacræ Scripturæ tribuitur Nomen Canonis Pl. XIX. 5. ubi Vox in Fonte occurrens 12 varias atque ad probandam hancce Scripturæ Facultatem Normativam optime facientes sustinet significationes. Interdum enim signi-

fiat lingulam in trutina, juxta quam æquilibrum constituendum. Hoc sensu occurrit Hiob. XXXII. 5. Interdum funiculum tenuem, quem creta imbuunt fabri lignarii, ut lineam ducant rectam, ejus ductum dein sequantur, in lignis exæqvandis & complanandis, quo sensu legitur Esa. XLIV. 13. Vid. *Schindlerus*. (a) Quæ Scripturæ, per Metaphoram, sive ex Ponderum Officinâ, sive ex Architecturâ petitam, a Davide facta denominatio, infallibile est argumentum, eam esse Normam, juxta quam omnia sive Credenda, sive Agenda, sive Dicenda, sint instituenda, exæqvanda, amussitanda. Quod si tamen adhuc quis hæreat dubius, utrum etiam Dictum Davidis de universa S. Scriptura, adeoque etiam Doctrina Apostolorum agatur, adeat Interpretem omni exceptione majorem, nempe Apostolum Paulum. Is enim non solum Rom. X. 13. huncce Davidis locum ad doctrinam accommodat Apostolicam, sed etiam Epistolam ad Galatas scriptam hoc concludit epiphonemate, Galat. VI. 16. *Quicumque hanc Normam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia.* Ubi sane manifestissimum est, loqui Paulum de doctrina sua in hac epistola proposita. Jam vero quæ est natura partis in homogeneis, eadem etiam est Natura Totius. Si appellatio Canonis & Normæ competit huic epistolæ Paulinæ, utique etiam reliquis V. & N. T. Libris conveniat, necesse est. Quod argumentum nervose urget Optimus *Gerhardus in Exegeti* S. 437. p. 476. *Secundum* petitur ab expresso Dei mandato, ad Scripturam S. primum viva voce traditam, dehinc in literas redactam, tanquam solam & unicam Normam fidei atque vitæ, homines ablegantis Deut. IV. 2. Esa. IIX. 19. Circa quæ dicta observandum (1) quod in priore mandatum illud non sit particulare, solos obligans Judæos, uti minus recte explicat *Cornelius a Lapide* (b) sed universale, ad omnes homines in N. T. quovque viventes, pertinens, ut scilicet Verbo DEI scripto soli, tanquam Normæ Fidei ac Vitæ adhæreant. (2) quod in posteriori loco, per Legem non intelligatur peculiaris tantum quædam Lex Judæis lata, de non consulendis auguribus, hariolis ac incantatoribus, prout sentit *Becanus*, (c) sed voce Legis generaliter sumpta, universa Scriptura.

(a) in *Lexico ad h. v.* (b) *Comment. ad h. l.* (c) *Manual. Controuv. L. I. c. 5.*

Scriptura S. divinitus revelata, quemadmodum hunc significatum passim obtinet e. g. Psalm. CXIX. multoties. Esa. I. v. 10. V. v. 24. Quare etiam Propheta Vocem Testimonii *im Exe-
nōs* addit. Cum enim extra omnem hactenus positum sit con-
troversiam, nullum esse Librum Canonicum, qui non perhibeat de
Christo Testimonium, juxta Act. r. X. 43. in propatulo est, per Legem
& Testimonium universam intelligi Scripturam. Cui sententiæ non
solum Patres antiquiores puriores, sed nonnulli etiam ex ipsis Ponti-
ficiis, argumentorum pondere convicti, subscribunt. *Vid. Qvenda-
sted.* (a) Tertium adfertur a Praxi ipsius Christi & Apostolorum,
in Controversiis Fidei semper ad Scripturam provocantium, atque
eo ipso Facultatem ejus Normativam confirmantium. Matth. IV.
4. XXII. 31. 42. Luc. XX. 37. Act. XXVI. 22. Plura qui desiderat
argumenta, adeat B. Gerhardum (b) Qvendsiedium (c) Bröckmandum (d)
Chamierium (e) Add. Calovius. (f)

§. IV. Licet igitur Facultas hæc Scripturæ Normativa fir-
mo stet talo, non defuerunt tamen eandem omni tempore subruere
audentes. Pontificii Scripturæ perfectionem & perspicuitatem ne-
gantes, statim ideo inficiantur, imo proius inficiari necesse habent,
Scripturam esse Unicam Normam Credendorum, Agendorum Dicendo-
rumque, sed Traditiones non scriptas, pari, si non majori pietatis & re-
verentiæ affectu, Normæ instar esse habendas. *Vid. Gerhard. (g) Sociniani
Rationem pro Norma Credendorum venditant. Vid. Feuerbornius (h) Bröck-
mandus (i)* Equidem nonnulli ex illis videri quidem volunt, ac si Ratio-
nem pro Norma Fidei minime agnoscant. Ita enim Socin: (k) *Non sunt Deo
imperferutabilia judicia humana rationis modulo metienda.* Similia pro-
fert Osterodus (l). Es wäre gar zu gefährlich, in solch einer grossen
Sache

B 3

- (a) P. I. Syst. C. 3. Sect. II. (b) Conf. Cath. Lib. I. P. I. C. 2. p. 73. Exeget. §. 436. sequ. (c) P. I. Cap. 4. Sect. 2. Qv. 154.
(d) Syst. P. I. c. 2. qv. 17. & Tract. de Controvers. Nos inter
& Pontif. Lib. 4. c. 7. 8. (e) Panstrat. Cath. T. I. Lib. 1. c. 3. 4. 5. 6. 7. 9. 10. (f) Synopsis. Controv. p. 51. (g) in Conf.
Cath. L. 1. P. I. c. 2. p. 74. (h) in Anti Osterodo p. 65.
sequ. (i) T. I. Syst. Cap. 3. qv. 1. & 2. (k) Tract. Soluta
scrupul. scrup. II. p. 40. (l) Instit. Germ. cap. 29. p. 197.

Sache, da von des Menschenleben/ia von seiner ewigen Seeligkeit gehandelt wird/ Menschlicher Vernunft und Gutdüncken zu vertrauen. Et Smalcus (a) plane consona his reliquit: *Velle sacrarum literarum puritatem cum Philosophia ita commiscere, ut illius sit interpres, est religionem pessundare & Philosophiam Theologia praponere.* Verum quomodo hi ipsi Auctores aliis in locis sibi ipsis contradicant, videre est apud B. D. Scherzerum. (b) *Weigeliani, Quackeri aliiq; Fanatici* Normam Credendorum somniant Verbum internum, Raptus, Enthusiasmus, Visiones, Immediatas Revelationes. Vid. *Thummius* (c) & *Summe Rev. Dn. D. Schelguigius, Theologus immortaliter de pura Dei Ecclesia meritis, Præceptor olim meus fidelissimus & in Christo Pater æternum colendus, cuius hic ob plus quam paternum in me affectum non sine filiali pietate & reverentia memini,* (d) Quid D. Georg. Calixtus ceterique Theologi Helmstädienses, cum quibus olim fecere nonnulli Regiomontani Theologi Syncretismo addicti, prouti edoceor ex Dreiero (e) de Norma primaria & secundaria, nempe consensu quinque seculari statuunt, sicco jam prætereo pede.

§. V. Ipsum tamen *Arnoldum*, qui ceteroquin membrum Ecclesiæ nostræ, dum in vivis erat, videri cupiebat, silere non possum. Is enim cum Fanaticis unam inflans tibiam, referente Celeberrimo D. Val. Ern. Löschers (d) duplicem fingeat Normam, Principium, Canonem, alterum interiorem, alterum exteriorem, asseribatq; veritatem hauriendam esse tam ex Scriptura, quam ex effluxu divino, hanc vero nominat revelationem. Verum cum duplex hæc ab *Arnoldo* conficta Norma, non solum a puriore hactenus Ecclesia fuerit rejecta, utpote nullo nitens fundamento Scripturæ, sed Petrus ipse eam etiam in dicto nostro convellat, facile cuilibet videre licet, duplici hac norma opus haud esse, sed sufficere unicam illam, eamque infallibilem, nempe Sacram Scripturam.

§. VI. Dum autem Scripturam! S. Unicam Credendorum, Agendorum, Dicendorumque Normam esse assero, dubium forsan alicui posset subnasci: Qua igitur ratione Libri nostri Symbolici Normæ nomine

(a) *In 1. Joh. Homil.* (b) *Colleg. Anti Socin. p. 17. 18.* (c) *Impiecat. Weigel. p. 15.* (d) *Quakerism. Confut. P. 1. p. 25. sequ.* (e) *p. 218.* (f) *Erörterung. Quest. 2. (d) in Pranot. & quidem Pranot. contra Antiscripturarios Fanaticos II. & III.*

nomine possint insigniri, cum hac excellentia soli competat S. Scripturæ. Verum facilis est ad illud responsio, si modo attendatur distinctio, in statu controversiæ formando, adducta, & a Theologis nostris adhiberi solita, nempe inter *Normam Normantem*, & *Normam Normatam*, inter *Normam Independentem* & *Dependentem*. Quando a Theologis nostris Libris Syn b. nomen Normæ tribuitur, nequaquam hoc ipso nomine S. Scripturæ, tanquam Normæ Normanti atque Independenti æquiparantur, sed tantum pro aliqua Norma Normata ac Dependente æstimantur. Conf. Dn. D. Theologus Witteb. Martinus Chladenius (a) nec non Excellentissimus atq. Clarissimus Dn. Gottlieb Schelgwigius, Professor Gymnasii Ged. celeberrimus, Amicus olim conjunctissimus, nunc quoque Fautor colendissimus. (b) Non aliter (utor simili, quod a Præceptore olim meo, ad tumbam usq. venerando Dn. D. Schelgwigio, nobis, cum Musis adhuc vacarem Gedanensibus, sæpe numero inculcabatur) ac ulna curiæ adpensa dicitur Norma, scilicet Normans, earum ulnarum, quibus mercatores in suis tabernis utuntur, quæ Norma normata vocari solent. Accedit, quod Libri Symb. a Nostris nunquam pro Norma Fidei sint venditati, sed tantum pro Norma Professionis fidei, prouti Magnif. Dn. D. Fechtius (c) hoc prolixius deducit. Præterea non ineleganter a partibus Orthodoxorum acriter stans atque supra laudem meam positus celeberrimus jam Wittebergenf. Theologus Dn. D. Wernsdorffius, (d) Normam dividit, in *Normam Discretionis* & *Cognitionis*, asseritque, Libros Symb. utroque modo Normam vocari posse; Discretionis, quæ Hæretici faciliè a nobismet dignoscantur; Cognitionis, cujus beneficio in cognitionem veritatum quarundam sive conclusionum deducamur. Nec hic Theologus venerandus, tenui quidem meo judicio Libris Symb. plus, quam par est, tribuit. Cum enim Scriptura S. tanquam immediate *Norma* 2. Tim. III. 16. sit Nor-

(a) *Disp. de Asseveratione Doctrinæ*. §. 25. p. 28. (b) in *Thesibus, ex Quækerismo Confutato*, olim a Venerabili Dn. Parente edito, ex tractat. *Art. II.* §. 35. (c) *Disp. contra Arnoldum pro vindicando P. Dn. D. Chytrao, ut in Thesib. ex Theologia selectis Th. X.* (d) in *Disp. de Autoritate Librorum Symb.* sub Præsidio Eo Dn. D. Neumayni ab ipso habita.

ma (Independens & Normans) fidei; Libri autem Symbolici pariter *Ἰερόδοτος* (*Jerodotus* scil. mediata) prouti non sine argumento-
rum pondere probat cit. *Dn. D. Schelgwigius* (a) nihilque aliud con-
tineant, quam quod ex asse cum S. Scriptura conveniat, eo ipso de
Facultate Normativa participant, necesse est.

§. VII. Nec quidquam valent Adversariorum objectiones,
contra hanc Librorum Symb. Facultatem Normativam in medium ha-
stenus adlatæ e. g. quod ipsa S. Scriptura sit Norma fidei; quod Libri
Symb. ab hominibus errori obnoxii sint conscripti; quod errores
contineant &c. quæ nullius ponderis jam dudum a nostratibus Theo-
logis sunt refutata. Vid. *Dn. D. Schelgwigius* (b) *Dn. D. & Theologus*
Altorfius Joh. Christoph. Pfaffius (c) *Celeberrimus Dn. D. Sontagi-*
us (d) *M. Joh. Mæbius* (e) *Add. Dn. D. Fechtius* (f).

§. VIII. Ex hac Scripturæ S. Affectione, hactenus Argumen-
tis, partim ex Dicto meo, partim aliunde adlatis, firmiter satis pro-
bata, fuit jam alia S. Scripturæ Affectio, nempe *Integritas & Per-*
fectio. Hinc.

Porisma II. *Scriptura S. est Integra ac Perfecta.*

Nomine autem Integritatis ac Perfectionis hoc loco nihil aliud in-
telligo, quam quod λόγος *Ἰεσ* ne ullo quidem Libro Cano-
nico, qui scil. a DEO ad id constitutus, ut sit perpetua Norma
Creden-

(a) In aurea sua *Synopsi Artic. V. Quest. 3o & 4.* (b) *Synops.*
l. c. (c) *Sylloge Question. Theol. qu. I.* (d) *Depulsion, sex*
Paroramatum A. C. ejusque Apologia & Artic. Smalcaldic.
imputatorum. Ejusd. Disp. Judicium Scripturae luculentum su-
per humanis Præjudiciis ex Ps. CXIX. v. 165. ubi Memorial.
VII. Antithetico Censores Lib. Symb. solide refutat. (e)
Disp. sub. Præsid. B. Dn. D. Seligmanni hab. de Autoritate
Libr. Symb. non contemnenda, in qua errores partim Histo-
ricos, partim Theologicos Libris Symb. ab Adversariis ob-
jectos nervose satis resolvit. (f) *Colleg. Privatiss. MSS. Loc.*
de Relig. §. XI. ubi contra Tenebrionem quendam Libros
Symb. ab imputatis erroribus breviter vindicat, citatis D.
Heberlino & D. Sontagio, qui id in scriptis supra cit. præ-
lixius egerint.

Credendorum, Agendorum Dicendorumque, sint mutilata, sed ut per tot secula plurimi alii iidemque utilissimi perierint Libri, ad λόγια Θεῶν tamen pertinentes omnes supersint.

S. IX: Loquor ergo h. l. (1.) non de *Integritate & Perfectione Finali*, quæ alias apud Theologos Integritas & Perfectio objectiva & intensiva audit, atque contra Pontificios hæcenus omni jure fuit defensa, sed de *Integritate Materiali*, quæ alias dicitur extensiva & quantitativa Integritas. (2.) Mihi sermo non est de *Libris Sacris non Canonicis*, utpote Historicis, Politicis, Chronicis, qui quidem Deo inspirante fuerunt scripti, sed ob particularem causam & particulari Ecclesiæ, quos periisse absurdum non est. *Vid. Dn. D. Fechtius*, sed de *Canonicis*, qui a Deo sunt destinati, ut sint perpetua fidei morumque norma. Nec (3) quaeritur, an ejusmodi Libri Canonici a Deo in Canonem destinati perpetuum, per malitiam hominum perire, adeoque λόγια Θεῶν Canonica hoc modo mutilari potuerint, sed an actu ipso, si divinam spectes providentiam, perierint atque λόγια Θεῶν sint actu ipso mutilata. His præsuppositis dico: Scriptura S. seu λόγια Θεῶν integra sunt ac perfecta, nec quoad ullum Librum Canonicum mutilata.

S. X. Pro adstruenda hac τῶν λόγων Integritate ac Perfectione elegans satis ac stringens ex dicto meo fuit argumentum hujus tenoris: *Quodcumque tanquam universaliter obligans perpetuo attendi, observari, consulti S. Petrus desiderat, illius Integritas ac Perfectio ut conservata sit, necesse est.*

Atqui λόγια Θεῶν &c. Ergo:

Majoris in hoc argumento veritas vel inde elucet, quia necessario sequitur, quod, si λόγια Θεῶν, tanquam Norma, prout in præcedente Porismate probatum dedi, sint contracta, diminuta ac mutilata, Petrus nullatenus ad ea perpetuo observanda, attendenda excitare potuisset. Quomodo enim a nobis, aut universaliter ab hominibus requiri potest, ut λόγια Θεῶν perpetuo, in omnibus de Deo sciendis, dicendisve attendamus, nisi ex parte Dei nobis λόγια Θεῶν

C

perpe

Colleg. Privatiss. Mss. Loc. de Scriptura S. 12.

perpetuo ostendantur, extendantur, conserventur. Necesse proinde est, ut *λόγια Θεῶν* in Ecclesia Dei integra, nec non perfecta sint conservata. Minoris autem probatio, unicuique ipsum dictum, vel fugitivo saltem oculo inspicienti, patescit. Quare hic non multum morabor, alia potius adlaturus Theologorum argumenta hanc Integritatem ac Perfectionem Scripturæ firmantia.

§. XI. Solent autem eorum quæ plurima adferri; nobis ex more præscripto, tria adduxisse sufficiat. *Primum* petitur, a *discreta appellatione*. Expresse enim *λόγια Θεῶν*. Psalm. XIX. 9. vocantur *Perfecta*. Equidem I. c. tantum Lex Dei vocatur Perfecta; sed per Legem Dei, voce generaliter sumta, universam scripturam S. intelligi, vel inde colligitur, quia Paulus Rom. X. 18. hunc ipsum Psalmum accommodat ad prædicationem Apostolorum. *Vid. Gerhardus. (a) & Dn. D. Fechtius (b)* Hoc tamen aliquam parere videtur difficultatem, num Integritas & Perfectio h. l. Legi tributa seu S. Scripturæ, de Integritate Materiali & extensiva, an potius de Perfecti-
one Finali & intensiva veniat intelligenda. Verum régero: Licet hocce dictum a Theologis communiter allegetur, pro probanda Perfecti-
one Finali, tamen incongruum non esse, illud in genere pro utraque Integritate probanda adferri. Cum enim Lex Dei seu S. Scriptura absolute & simpliciter dicatur *Perfecta*, quid obstat, quo minus & de Perfecti-
one ac Integritate finali pariter atque materiali cit. loc. intelligatur. *Secundum*, quo hæc τὸν λόγον Integritas & Perfectio probatur argumentum, ducitur, a *Divina Providentia*, quæ non permittit, nec permittere potuit, ut Libri in perpetuum Ecclesiæ Canonem destinati, mutilarentur, multo minus ullus eorum periret. Promissio enim Salvatoris nostri Jesu Christi, ex qua divina, circa Libros Canonicos, plus satis colligi potest providentia, certissima est ac legitur Matth. V. 18. *Donec prætereat cælum & terra iōta ἢ πῦρ νέγρια, Jota unum aut unus apex non præteribit a Lege, donec omnia fiant.* Jam vero, si ne unum quidem Jota, quæ tamen literarum, apud Hebræos est minima, imo ne apex quidem de Lege (quo nomine tota intelligenda S. Scriptura) interire debet; multo

(a) *Exeg. L. 1. S. 376.* (b) *Colleg. Fundam. MSS. L. de Script. S. 10.*

multo minus, divina permittente potuit providentia, ut integri Libri, e Canone perirent. *Tertium* adfertur a *Fidelitate Ecclesie Judaicae* in custodiendo S. Canone totidem verbis ipsi in S. Scriptura tributa. Nam Rom. III. 2. ipsis expresse dicuntur concredita λόγια θεῶν. Quare etiam ab *Augustino*, prouti Sect. præced. ostensum dedi, vocantur *Scriniarii & Bibliothecarii Gentilium*. Et idem (a) Judæos vocat *Capsarios & Librarios* nostros, scil. ob incredibilem eorum erga S. Scripturam religionem. Quæ tanta fuit, ut ipse etiam *Bellarminus* (b) fateri cogatur: *Incredibilem fuisse Judæorum religionem erga S. Libros*. Ex qua religiosa Judæorum observantia erga Libros Canonicos, & eorum Fidelitas in custodiendo deposito concredito & Canonis Perfectio plus satis apparet. Si enim Libri quidam Canonici periissent, tum Ecclesia Judaica, neque fuisset depositi a Deo concrediti fidelis custos; neque λόγια θεῶν tuto ipsi concredi, neque Paulus eos tam insigni ornare potuisset encomio. Et licet tempore, quo Populus Israel in Captivitatem deducebatur Babylonicam & urbs Hierosolyma combustioni tradebatur, Legem Dei, in arca foederis hæctenus adservatam, periisse, nonnulli autem, ex eo tamen integritati λόγια nihil quicquam decedit. Nam facilis ad ea est, responsio, distinguendo, inter scripta Legis *autographa & apographa*. Licet perierint autographa (quod tamen ut credamus hæctenus nulla adversariorum evidenti ratione cogimur) nondum tamen sequitur, ergo apographa, quæ magno numero apud Judæos adservabantur, cum unicuique lectio legis a Deo fuerit demandata Deut. VI. 7. XVII. 18. perierunt. Ceterum pro finienda & hac controversia cum B. D. Affelmanno (c) distinguo, inter *Codicem Biblicum, & Canonem Biblicum*. Ex Biblico Codice quosdam periisse Libros concedo, sed ex Canone Bibl. eos periisse nego. Plura argumenta desiderans, adeat *Gerhardum* (d) *Quenstedium* (e) *D. Affelmannum* (f) *Rivetum*. (g)

C 2

§. XII.

[a] In Enarrat. Ps. XL. & LVI. (b) Lib. 2. de V. D. cap. 2.
(c) Syntagm. P. I. Disp. 3. qu. 11. (d) Exeg. L. I. §. 73.
& 108. (e) Syst. P. I. Sect. II. c. 4. qu. 17. (f) l. 6.
(g) Catholic. Orthodox. Tract. I. Qu. 3.

§. XII. Quia vero non ingratum L.B. me suscepturum laborem mihi persvadeo, si ex ipsis nostris, hac in controversia, adversariis, quendam adduxerim, qui plane nobiscum in hac Perfectione atque Integritate *λογίων* *ἱερῶν* consentiat, in medium produco, Virum apud Pontificios haud exiguae auctoritatis, *Alfonsum Salmeronem*. (a) Is enim sex rationibus probat, Libros illos, quos Pontificii ex Canone Librorum Biblicorum excidisse ajunt, nunquam fuisse Canonicos, neque ad *λογία* *ἱερῶν* perpetuo attendenda pertinuisse. Verba ejus, prouti eadem, cum copia ipsius Autoris mihi Rostochii non potuerit fieri, *Vir plurimum Reverendus, Dn. Joh. Falckius, Pastor Gedan. ad Edem S. Cathar. longè meritissimus, Pator ac Benefactor meus, per omnes annos Academicos omni filiali obsequio aeternum colendissimus*, decenter à me rogatus, lubeus, ex ipso Autoris vastissimo commentario *Gedani* excerpta, transmissit, digna sunt, ut hic adponantur. Postquam enim Autor citatus multa de Libris illis, quos Pontificii, tanquam Canonicos periisse statuunt, disseruisset, atque nominasset *Augustinum*, (b) asserentem, olim Librum *Henoch* Canonicum, & ex quo depravatus fuerit per Hæreticos, fuisse Apocryphum, hunc tandem in modum pergit: *Mihi quidem probabilius longe videtur, nunquam fuisse Canonicos, etiam si paratus sim mutare sententiam, si quisquam solidis argumentis contrariam evicerit. Hoc porro ad credendum his adducor rationibus: Prima est, quia, ut ait Origenes illi Libri de medio sublati sunt ab Spiritu S. vel quod aliqua continerent, quæ suprà humanam sunt intelligentiam, vel quia Apocryphi erant & falsa quedam contra fidem continebant. Prior ratio nulla est, quoniam Prophetica scripta quam plurima supra captum humanum continere solent, nec Deus dona, quæ semel contulit Ecclesie suæ, revocare consuevit, sed potius conservare & augere. Si igitur ob hanc causam, non sunt exclusi ab Auctoritate Canonica, superest secunda, nimirum quod essent Libri Apocryphi & multa incerta & inconstantia continerent. Deinde constat, Salomonem tria millia Parabolarum & Carmina quinque millia locutum esse, & disputasse super lignis a cedro, quæ est in Libano, usque ad Hyssopum, quæ egreditur de pariete, ac dis-*
scruiſſe

(a) T. 1. Comment. in N. T. Proleg. 9. Can. 4. p. 91. sequ.

(b) Lib. de Civit. Dei.

feruisse de jumentis & volucribus & reptilibus & piscibus, ut asserit
 3. Liber Regum in fine capitis 4. Constat autem hos posteriores libros
 omnino intercidisse & ex tot libris Parabolarum & Carminum, non
 nisi paucas Parabolas & Canticum Canticorum ad nos pervenisse.
 Quia, etsi fortassis divina sapientia essent conscripti, non tamen uti-
 les judicati sint, ut Canonicam Autoritatem haberent. Tercio. Si
 Canonici ejusmodi Libri extitissent, Ecclesia non fuisset depositi sibi
 traditi a Deo fidelis custos, iuxta illud ad Timotheum: O Timo-
 thee depositum custodi! Cumque Liber Canonicus nihil aliud sit,
 quam certa regula credendi, & vitam, legi Dei conformem, in-
 stituendi, facere jacturam unius Libri Canonici, nihil aliud esset,
 quam regulam vivendi juxta Dei præsceptum, amittere. Quemad-
 modum gravissimum esset incommodum, si Ecclesia, vel unius tan-
 tum Sacramenti, ex septem, quo initiatur & sanctificatur, jactu-
 ram faceret. Quarto. Posset hoc incommodum, non sine ratione,
 retorqueri in Spiritum Sanctum, Ecclesie Dei custodem & protectorem:
 quia cum posset Ecclesiam præservare, ne Librum Canonicum amitte-
 ret, permisit tamen. Et tamen librum Pentateuchi amissum, tem-
 pore Josie inventum esse memorat Scriptura & Librum Threnorum a
 Rege Joachim combustum curaverit Spiritus S. ut iterum a Jere-
 mia Propheta conscriberetur, ut traditur Hier. 36. Quinto. Esdram
 Prophetam restituisse omnes Libros sacros, qui interciderant tempore
 captivitatis Babylonica, communis fere omnium Doctorum consensus est:
 ejusmodi vero libros, quos superius enumeravimus, non restituisse,
 inde colligimus, quia post reditum a captivitate Babylonica nulla eo-
 rum fit mentio; quod signum est, illos habitos fuisse ut Apocryphos &
 Pseudepigraphos, aut nullum de Messia Mysteriis continere. Deni-
 que ex ejusmodi Libris nihil legimus citatum ab Apostolis vel Evan-
 gelistis in N. T. cum ex fere omnibus aliis, quos Canonicos habemus,
 aliquid allatum inveniamus; quod apertum argumentum est, eos
 minime fuisse Canonicos, nec eos extare in rerum natura. Ex qui-
 bus omnibus necessario consequitur, *λογια* & *ἱερ* hactenus integra
 perfecta que fuisse a Deo conservata, cum requiratur ex parte ho-
 minum immutabilis ad illa respicientia.

§ XIII. Hanc Integritatem *λογια* & *ἱερ* ex Patribus jam suo
 C 3 tempo-

tempore impugnavit Chrysostomus. (a) Is enim hunc in modum scribit: Multa ex Prophetis perire monumentis, quod de Historia Paralipomenon probare possibile est. Desides enim cum essent Judaei, nec desides modo, sed & impii, alia quidem perdiderunt negligenter, alia vero tum incenderunt, tum conciderunt. Et de prophanitate quidem tali refert Jeremias, de negligentia vero in quarto libro Regum legimus, quoniam post multum temporis vix Deuteronomii sit volumen repertum defossum quodam in loco ac pene deletum. Si autem absque ulla incensione templi, absque ullo impugnante civitatis tumultu sacritamen libri varie deperibant, quis jam istud inter illas depopulationes vastationesque hostium, inter illa templi ac totius urbis incendia contigisse miretur. Chrysostomo accesserunt nonnulli alii, eandem foyentes sententiam, ex eo, quia nonnullorum librorum fiat mentio in S. Scriptura, qui tamen hodie non extent e. g. Libr. Bello- rum Domini Numer. XXI. 14. Parabolarum & Cantic. Salomonis I. Reg. IV. 32. Libr. Prophetæ Nathan & Gad. I. Paral. XXIX. 29. Tandem, ut nonnullos Calvinianos & Photinianos mittam, & Heterodoxa Pontificiorum Schola hanc Perfectionem Scripturæ omni modo impugnat, accusans eam non solum imperfectionis intensiva, sed etiam extensiva. Ita enim Bellarminus (b) scribere non erubescit: Multi libri vere Sacri & Canonici perierunt. Ergo non habemus, nec habuimus a mille & quingentis annis sufficientem doctrinam, si tota sita est in Scripturis.

§. XIV. Succedit jam alia τῶν λόγων ἡ Ἰστὶ Affectio, nempe Claritas & Perspicuitas. Hinc

Porisma III. Scriptura S. est sufficienter Clara atque Perspicua. Ne autem & in hoc Porismate Andabatarum more pugnare videar, controversiæ statum in antecessum debita forma ratione. Scil. non quaeritur (1) de Claritate & Perspicuitate Rerum sed Verborum. Nec quaestio est (2) de Claritate Scripturæ absoluta, sed relata. Neque (3) in controversiam venit: Annon in Scriptura S. occurrant nonnulla, quæ obscura & minus perspicua; id enim propter clarissimam S. Pe-

(a) Homil. IX. in Matthæum p. 85. (b) L. b. IV. de V. D. c. 4.

S. Petri verba 2. Petr. III, 16. & Visiones Ezechielis, Danielis, ipsius
qve Johannis, omnium haftenus Theologorum consensu, obscu-
rissimas, libentes damus. Magnifice quippe & salubriter, ut loquitur
Augustinus, Spiritus S. ita Sacris Scripturis modificavit, ut locis aper-
tioribus, fami occurreret; obscurioribus autem fastidia detergeret:
sed hoc venit in quaestionem; Annon λόγια Ής, quoad ea quae
faciunt ad fidem formandam, dirigendam moresque informandos
sint sufficienter clara & perspicua? Atque ita controversia statu le-
gitime formato, assero: λόγια Ής adeo clara & perspicua sunt, ut ea
omnia, quae faciunt vel ad fidem formandam, vel ad eam dirigendam,
vel mores informandos, verbis sufficienter claris & perspicuis propo-
nant, quilibetque etiam simplicissimus ea capere atq; intelligere queat.
Fundamentum hoc Porisma jam invenit in Affectione prima ex dicto
nostro jam supra abunde satis probata. Nam

*Quicquid est Norma directiva sermonis sacri, sive in publico
Ecclesia coetu, sive privatim, in confessione & conversatione
Christiana, id clarum & perspicuum esse debet & loquenti &
illis qui per loquelam hanc sacram bene sunt dirigendi.*

Atqui S. Litera seu λόγια Ής sunt sacri sermonis & informa-
tionis divinae adeoque & fidei & confessionis fidelium Norma
directiva. Ergo.

Majoris consequentia ex eo patet, quia; nisi id, quod Norma
directiva audit, sufficienter clarum & perspicuum esset, neque loquen-
tem illuminaret, ut juxta illud omnia sua eloquia decenter conformare
posset; quomodo enim loquens de rebus divinis, conceptus suos
poterit conformare illi, cujus conceptus sunt caliginosi, obscuri, imo
plane impervestigabiles; neque etiam audientem, qui hacce loquela
vel in fide informandus, vel in moribus erudiendus est, e tenebris eruet,
& a dubiis menti ejus subnatis liberabit, cum perspicere nullo modo
possit, an quae sermone sacro prolata sint, illi Normae directivae, sacris
Literis scil. respondeant. Minorem vero quod attinet, nec illam ul-
la laborare difficultate proluxaque indigere probatione firmiter sum
persuasus. Petrus enim expresse desiderat, ut, qui loquitur de rebus
divinis, loquatur ὡς λόγια Ής h. e. e. claris sacrarum literarum
fontibus sensus divinos salutiferosque dispense. Sequitur ergo im-
mote

Lib. 2. de Doctr. Christ. Cap. 6.

note λόγια θεῶν esse satis clara & perspicua. Rem illustrabo simili;
e. g. cum Pontifex R. dicit, qui loquitur, loquatur ut Concilium Tri-
dentinum, absurde ita diceret, nisi supponeret, Concilium Trid. esse
adeo clarum & perspicuum ut a dicente & audiente ejus Canones
qveant intelligi. Itā & cum Petrus dicit: Qui loquitur de spiritua-
libus, loquatur sicut λόγια θεῶν de rebus divinis loqui solent, im-
pertinenter diceret, si λόγια θεῶν essent obscura, tenebricosa,
imo impervia.

S. XV. Quæ a Theologis nostris pro confirmanda
τῶν λόγιων θεῶν. Claritate & Perspicuitate alias solent adferri argu-
menta, varia sunt. Nobis rursus sufficiat, tria adduxisse, quorum
Primum desumptum ex insignibus illis Elogiis, quibus λόγια θεῶν a
Spiritu Dei ad confirmandam eorum Claritatem & Perspicuitatem, or-
nantur. Vocantur enim λυχνὶς splendens in loco caliginoso
2. Pet. I. 19. lucerna pedibus & lumen semitis nostris Pl. CXIX. 105.
Quæ elogia Spiritus S. illis nequaquam tribueret, nisi tanta gauderent
claritate, quam quæ superius fuit delineata. Secundum petitur a
Causa Efficiente Principali λόγιων θεῶν, quæ est ipse Deus, per scri-
pturam nobiscum loquens. Is enim aut non potuit clare & perspi-
cue nobiscum loqui, aut non voluit. Prius pugnat contra infi-
nitam ejus potentiam, quæ nullos patitur terminos; Posterius abs-
que blasphemia dici non potest, cum pugnet contra immensam ejus
bonitatem, quæ non potuit non λόγια sua, juxta quæ fidem no-
stram & mores voluit dirigi, clara & perspicua nobis proponere.
Tertium ducitur a Fine, propter quem λόγια θεῶν sunt exarata. Cer-
te nullus alius eorum fuit finis, quam ut ex illis disceremus, quæ
nobis credenda, quæque agenda, si æternam velimus consequi sa-
lutem. Joh. XX. 31. Rom. XV. 4. Impossibile autem esset, Deum
hunc assequi posse finem, si quæ in eloquiis Dei reperiuntur, adeo
obscura essent, ut intelligi nequeant. Conf. Gerhardus, (a) Qvenstedius (b)

Broch-

(a) Exegesi L. de S. S. S. 414. sequ. Conf. Cath. L. II. Ari. I. c. 3.

(b) Syst. P. I. C. IV. Sect. II. Qu. 12.

Brochmandus (a) *Giffenius* (b) *Scherzerus* (c) *Rivetius* (d) *Add. Martinus Sylvester Grabe, Theologus & Licentiatus olim Regiomontanus.* (e) & *Theologi Leidenjes.* (f)

§. XVI. Hostes hujus τῶν λόγων ἔς Ἰησοῦ Claritatis & Perspicuitatis deprehendimus partim Pontificios, Scripturam S. nativæ seu internæ obscuritatis accusantes & propterea ad Ecclesiæ testimoniū & determinationem in sensu scripturæ eruendo provocantes Vid. *Gerhardum* (g) *Dn. D. Schelwigium* (h); partim *Enthusiastas & Weigelianos*, quibus λόγια τῷ Ἰησοῦ sunt flexiloqua, obscura, liber septem signaculis clausus. Vid. *Weigelius* (i) Quæ eo asseruntur sine, ut homines a clara & externa Scripturæ litera ad Spiritum internum adducantur.

§. XVII. Cum igitur jam dederim probatam, λόγων ἔς Ἰησοῦ, in iis, quæ faciunt ad fidem formandam & dirigendam, moresque informandos, claritatem & perspicuitatem, necessario ex hac Affectione consequitur Scripturæ S. Communicabilitas, ad omnes homines, rationis compotes, adeoque & Laicos sese extendens. Hinc,

Porisma IV. *Scripturæ Lectio omnibus est concedenda ac permittenda.*

Loquor vero non de publica Sacrarum Literarum Praelectione & Interpretatione, ad totius alicujus Ecclesiæ particularis ædificationem directa, & soli Ministerio Ecclesiastico propria, sed de lectione privata, ad ædificationem propriam & domesticam instituta. Hinc fundam-

D

-
- (a) *Syst. I. 1. c. 2. qu. 16. Ejusd. Tract. de Controversi. Nos inter & Pontif. Lib. 3. c. 1. & 2.* (b) *in Papismo Disput. IV.* (c) *Anti Bell. Disput. 2. Anrith. 9.* (d) *Cathol. Orthodox. Tr. 1. quæst. 6.* (e) *Disp. de Perspicuitate Scripturæ S. ejusque Laicis concedenda lectione.* (f) *in sua Synopsi Disput. 5.* (g) *Conf. Cath. L. 2. Art. 1. c. 3. p. 211.* (h) *in elegantissimo utilissimoq. in Controversia Papæa Libello, dicto: Prüfung des Papstthums Cap. I. S. 4.* (i) *Pestill. P. II. p. 185.*

fundamenti loco substratis assero: Scripturæ S. Lectio omnibus, cuiuscunque Status aut Conditionis, Sexus aut Ætatis, sive sint Clerici sive Laici, sive Mas sive Foemina, sive Adulti sive Infantes, si modo legere eandem valeant, est concedenda ac permittenda. Quæ assertio satis quoque commode ex nostro probari potest dicto. Ista enim Petri verba: *Εἰ τις λαλεῖ*, non hunc præ se ferunt sensum: Si cui placebit loqui de rebus divinis ad salutem pertinentibus æternam, ille debet S. Literis consentanea loqui. Si autem nolit de rebus istis cogitare aut sermocinari liberum hoc illi esto; Sed hoc urgente. Si quis velit loqui de rebus divinis quod omnes homines, summopere & sub animæ periculo facere tenentur, ille debet loqui *ὡς λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς*. Igitur nobis a S. Petro hæc insinuat Propositio: Omnes homines ex divino mandato & imperio sunt obligati, ut credant & loquantur *ὡς λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς*. Ex quo immote consequitur, ergo omnibus patet aditus ad Scripturæ lectionem. Equidem videtur S. Petrus loqui tantum ordini sacro atque eidem injungere, ut loquelam suam juxta *λόγια τῶ ἱε̅ρε̅ω̅ς* instituat; Verum, Unius positio, non est alterius exclusio. Supra enim jam probatum dedi *primario* quidem Ministros Ecclesiæ Ordinarios obligari, ut sint *λαλῶντες ὡς λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς*; *secundario* tamen etiam quosvis Fideles ad simile genus loquelæ obstringi. Proinde hæcce Petri commonefactio ad omnium ordinum, sexuum atque ætatum homines extendenda. Si enim sacer ordo seu Minister Ecclesiæ obligatur, ut nihil loquatur, nisi quod *λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς* jubent, adeoque illi permittitur, ut juxta *πληροφειαν* suam legat *λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς*, sequitur quod Laici hoc casu simile habeant privilegium seu jus ad consulendas ac scrutandas quotidie S. Literas, utpote qui eodem plane obligantur modo, quemadmodum in Sect. Priori Exeg. fuit ostensum, ne quicquam dicant, aut sentiant, nisi *ὡς λόγια ἱε̅ρε̅ω̅ς* sonet.

§. XVIII. Huic, ex dicto meo pro lectione Scripturæ omnibus concedenda, adlato argumento, varia adhuc Theologorum jungere facillimum esset, verum cum chartæ pariter temporisque angustia excludor, tria rursus tantum adduxisse sufficiat. *Primum*
eorum

eorum petitur ab *expresso ipsius Dei*, Autoris Sacrae Scripturae, *Mandato*, partim in V. partim in N. T. Lectionem Scripturae S. omnibus cujuscunque status aut conditionis, sexus aut aetatis etiam sint, plus satis injungentis. Quod V. T. attinet, illustre satis atque clarum illud occurrit Deut. VI. 6. 7. 8. 9. in quo dicto, ut expositione brevi, nervosa tamen utar ipsius *Quenstedtii* (a) Moses ex instinctu divino toti Israel fidelem commendat praeceptorum divinum custodiam, desideratque, ut ea sint in corde, ore ac opere h. e. ut ea tanquam pretiosissimum thesaurum cordi includant, ut de iis omni tempore, seu interdiu seu nocte, absque ulla loci vel aetatis exceptione sermones instituunt, ut omnem vitam juxta ea dirigant. Licet autem in hocce dicto tantum lectio Libri Legis commendetur, reliqua tamen scriptura haec ipso non excluditur, cum eadem sit ratio reliquorum librorum Prophetarum, Evangelicorum & Apostolicorum, qui omnes ab uno profecti sunt Spiritu 2. Petr. I. 19. 20. Quod clarius evadet, si huic ex V. T. desumpto mandato, jungam aliterum ex N. T. illudque vocem in subsidium. Legitur illud Joh. V. 39. *Ἐγὼ τὰς γράφας*. In quo dicto ipse Salvator noster non solum Phariseis & Scribis, cum quibus tum versabatur in colloquio, sed etiam rudi & imperitae plebi, quae in consortio Pharisaeorum & Scribarum, Christi tum fruebatur colloquio, prouti optime observat *Grawerus* (b) Lectionem S. Scripturae, eamque non superficialiam & perfunctoriam, sed accuratam, diligentem, & exquisitam commendat. Id enim intendit Salvator emphatica utens voce, *Ἐγὼ τὰς*, in qua latet Metaphora desumpta a Metallicorum diligentia, qui se ad intima terrae viscera metallique fodinas recipientes, omni cura ac solertia rimantur, scrutantur venas auri argentique. *Vid. Gerhardus.*

§. XIX. Equidem non inficias ivero, verba hujus dicti a *Beza*, imo etiam nonnullis ex Nostratibus, nominatim *Brentio* & *Erasmio Schmidio* (c) ita explicari, ut sint verba indicantis, non imperantis; quem admo.

D 2

(a) *Syst. T. I. C. 4. Sect. II.* (b) *T. I. Disput. Anti Jesuit. p. 204.*
(c) *Exeges. §. 481.* (c) *in Version. N. T. ad h. l.*

admodum & dictum hunc in modum jam ante illos explicavit
Cyrillus, & cum illo Pontificii plerique; verum posteriorem senten-
tiam, jam suis temporibus amplexi sunt Patres, nec sine pondere
defenderunt, nempe *Augustinus*, *Chrysostomus*, *Theophylactus*, imo
noster *B. Lutherus*, prouti edoceor ex *B. D. Tarnovio* (a) acutissimo
olim Rostoch. Theologo; quamvis, cui ille accedat sententiæ, non
determinet. Add. *Aretius* (b) *Calovius* (c) *Qvenstedius* (d) qui
elegantè & prolixè satis hocce dictum exponit & a Pseudhermeneia
Adversariorum vindicat. Et celeberrimus Witteb. Theologus Dn.
D. Gottl. *Wernsdorffius*. (e)

§. XX. *Secundum* desumitur ab *Exemplis* in Scriptura passim
laudatis eorum, qui Lectioni S. Scripturæ quotidie invigilarunt. Hinc
Berthensium opera in scrutanda S. S. adhibita laudatur. Act. XVII. 11.
Hinc Paulus Timotheum lectioni S. S. operam navantem celebrat.
2. Tim. III. 15. Hinc Petrus insigni laudis encomio ornat attenden-
tes sermoni Prophetico in scripturis proposito 2. Petr. I. 19. *Terti-*
um depromitur a *Fine*, ob quem τὸ τέλος τῆς γραφῆς scripto sunt com-
prehensa, qui multiplex, partim ut homines ex iisdem in doctri-
na fidei & morum salutariter instruantur; partim ut contra Sata-
nam ex iis armentur; partim ut ad vitam æternam sapientes red-
dantur. Cum ergo omnibus hominibus sit necesse, ut in doctri-
na fidei & morum instruantur, contra tentationes Satanae armen-
tur & ad vitam æternam consequendam sapientes reddantur, neces-
sario exinde fluit, a Lectione τῶν λογίων θεοῦ neminem esse arcen-
dum, sed potius ad eam omni Studio incitandum. Vid. Plura argumenta,
hanc firmiter sententiam apud *Gerhardum* (f) *Brochmandum* (g)
Qvenste-

-
- (a) *Comment. in Joh. ad h. l.* (b) *Comment. N. T. ad h. l.* (c) *Synopsi*
Controvers. Th. XI. (d) *System. P. 1. Cap. 4. Sect. 2.*
(e) *Disput. de Verbo Dei scripto §. 59.* (f) *Conf. Cath.*
Lib. II. Artic. 1. c. 11. pag. 187. Exeges. L. 1. §. 482. seqq.
(g) *System. T. I. Cap. 11. Qu. XIII.*

Quenstedium (a) Andr. Hyperium (b) Chamierium (c) Add. jam cit. Mart. Sylvester Grabe. (d)

S. XXI. Huic Porismati contradicentes habemus (quamquam cum aliqua differentia) 1. Pontificios, Lectionem S. Scripturae Laicis, (hoc enim nomine insigniunt omnes officio Ecclesiastico non fungentes) quinimo etiam nonnullis Clericis, (nisi ex speciali concessione Episcopi) minime concedentes, sed omni potius studio eosdem ab ejus lectione arcentes. Ne autem illis hocce Porismate facere videar injuriam, provoco ad eorundem Concilium Tridentinum, in quo sancitum lego: Scriptura lectionem, maxime in linguis vernaculis, non esse omnibus promiscue permittendam, cum Scriptura in se ita sit comparata, ut tam obesse legenti quam prodesse, nisi sanus accedat interpret, possit. Eadem legere licet in Indice Librorum Prohibitorum & expurgandorum, jussu Antonii a Sotomajor, Generalis Inquisitoris edito Madriti 1667. prouti ea a Summe Rev. Dn. D. Schelgvigio, (e) citata invenio. In quo indice regula generalis quinta his legitur concepta verbis: Cum experientia docuerit, ex permissione Sacrorum Bibliorum lingua vulgari, plus inde ob hominum temeritatem, ignorantiam aut malitiam detrimenti quam utilitatis oriri, prohibentur Biblia lingua vulgari extantia, cum omnibus eorum partibus, impressis aut manuscriptis: pariter summaria & compendia quamvis historica, eorundem Bibliorum, aut librorum S. Scripturae, idiomate aut lingua vulgari: non tamen clausulae, sententiae, aut capita, quae libris Catholicorum, haec explicantium & citantium, inseruntur. Addendum est hoc monitum, in hac prohibitione comprehendi librum, qui vulgo vocatur Epistolarum & Evangeliorum, idiomate vulgari, quamvis habeat alia quando breves expositiones, certis in partibus & Evangelii; quandoquidem, est magna ex parte & fere totus, e textu sacro, Idiomate

D 3

vulgā

(a) Syst. P. I. C. 4. Sect. II. Qv. 21. (b) Pecul. Tract. de Scripturae Lectione ac meditatione quotidian. (c) Panstrat. Cathol. T. 1. Lib. X. c. 2. 3. 4. (d) Disput. de Perspicuitate Scripturae ejusdemque Laicis concedenda lectione. (e) in jam cit. Exploratione Paparus. C. I. P. 13.

vulgari, nempe ob periculum, cui populus ignarus & vulgus subest erroris, ex pravo intellectu, aliaque incommoda, qua experientia animadverta sunt. Similia profert Bellarminus (a) Laicis lectionem Scripturae permittere est sanctum dare canibus & margaritas ante porcos projicere. Quo etiam collimare videtur Scriptor ille Gallus Nic. le Maire (b) Consiliarius, Eleemosynarius & Prædicator Regis, ut dici amat, Christianissimi, quem singulari studio & ex professo refutatum video a Celeberrimo olim Pomeranorum Præsule, nunc inter cœlites degente, D. Joh. Frider. Mayero. (c) ubi eandem plus quam viginti rationibus confirmat, additis Chrysostomi, Hieronymi & Origenis testimoniis, sententiam adversam examinat, Autorisque citati refutat exceptiones. (2) Quackeros, suos ab omni quod est externum avocantes, adeoque etiam ab externa Scripturae lectione Vid. Du. D. Schelvigius (d).

§. XXII. Quatuor itaque Porismatibus & S. Script. Affectionibus ex dicto Petrino deductis probatisque, superest, ut quintam quoque addam Affectionem, nempe Efficaciam. Hinc

Porisma V. Scriptura S. divina gaudet Virtute atque Efficacia.

Suppono autem (1) me non loqui de Scriptura Materialiter accepta, quo nomine literas, syllabas, voces, externamque scribendi & literas pingendi rationem intelligo; sed de Scriptura Formaliter considerata, quatenus notat sensum divinum, ipsamque doctrinam spirituales de Voluntate Dei omnibusque salutis nostrae mediis, per externam scriptiōnem expressam. (2) Non de Efficacia & Virtute objectiva, repræsentativa & aliunde adventitia, sed de Virtute & Efficacia operativa, effectiva, productiva & sibi essentiali (3) Non de Virtute & Efficacia

(a) De expresso Dei Verbo T. I. p. 610 (b) Tractatu primum Gallice scripto 1650. deinde in Latinum verso, & Herbipoli edito 1662. cujus Tit. Sanctuarium profanis oclusum seu de S. Bibliorum prohibitione in vulgari lingua. (c) pecul. Disp. de Scriptura S. Laicis concedenda Lectione. (d) Quackerysm. Confut. P. I. Art. II. p. 226. §. 20.

Efficacia, quoad actum secundum, seu quod idem est, in usu legitimo Scripturæ; sed quoad actum primum, seu extra usum debitæ lectionis & meditationis Scripturæ. His præsuppositis dico: Scriptura S. formaliter considerata, gaudet virtute ac efficacia effectiva, operativa & essentiali non solum in actu secundo, sed etiam actu primo. Quam assertionem & affectionem Scripturæ ex dicto Petri sequenti probabo argumento.

Quicumque non tantum hortatur, sed etiam obstringit omnes Ecclesiæ Ministros, ut sermones suos, si vel ad fidem generandam, vel dirigendam, vel etiam mores informandos facere debeant, juxta λόγια Θεῶν mensurent atque exigant, ille hoc ipse innuit λόγια Θεῶν virtute ac efficacia effectiva atque essentiali gaudere.

Atque S. Petrus &c. Ergo.

Evidentia Majoris in hoc argumento, inde firmatur, quia, si λόγια Θεῶν non gauderent Efficacia supra descripta, Petrus nullatenus Ministros Ecclesiæ hortari potuisset, ut sermones suos, si ad ædificationem facere debeant, juxta λόγια Θεῶν mensurent atque exæquent. Minoris probatio latet in verbis dicti clarissimis, ut quicquam addere supervacaneum ducam.

§. XXIII. Hac igitur quoque Scripturæ Efficacia ex dicto meo per legitimam consequentiam, quæ tamen apodictica gaudet veritate, cum, quicquid per legitimam consequentiam ex Scriptura deducatur, eadem concludat firmitate quam quod expressis legitur verbis, vid. *Magnif. Dn. D. Fechtius* (a); memor promissi, tribus jam, ut in antecedentibus factum est, eam roboro Theologorum nostrorum argumentis. Primum & palmarium quod adferri solet, fundamentum invenit in clarissima Scriptura litera Rom. I. 16. cujus dicti prolixam instituit Analysin. *M. Michaël Ulmizius*, *Ecclesiastes olim apud Gedanens. fidelissimus, jam jam beatissimus*, (b) ad quem B. L. remitto

(a) *Colleg. Privatiss. Mss. Loc. de Script. §. XI,* (b) *in Disp. elegantè & singulari studio conscripta, de Efficacia Verbi divini interna.*

mitto. Hoc tantum in praesentiarum noto, Evangelium Christi, quæ voce generatim sumpta, tota S. Scriptura, Lege & Evangelio constans, intelligenda venit, insigni ornari encomio. Dicitur enim *ὁ λόγος* Jē, Virtus, Potentia Dei, quæ vox Virtutem & potentiam agendi in actu primo, denotat, talemq; virtutem & efficaciam, quæ Verbo Dei etiā extra usum & actu primo jam jam essentialiter inest, & contra distinguitur *τὸ ἐνέργειαν*, quæ actum secundum infert prouti eleganter observat B. Dn. Michael Koch V.D.M. in districtu Ged. olim vigilantissimus. (a) Quando ergo Paulus Evangelium Christi vocat *ὁ λόγος* Jē hoc vult indicare, Scripturam S. in se esse efficacissimam, & actu primo etiam extra omnem usum habere insitam divinam virtutem atque potentiam, ad animos hominum percellendos, effectusque edendos supernaturales. Quare Apostolus etiam non sine emphasi abstracto utitur pro concreto, ad describendam Verbi divini potentiam prouti optime observat. B. Dn. M. Ulmizius (b) Hinc quoque Apostolus idem Verbum Dei alibi vocat vivum & efficax Hebr. IV. 12. non quod semper actu secundo vitam conferat & effectum efficaciae edat, sed quod natura ita comparatum sit, ut vitam conferre atque effectum edere possit, si ei non resistatur: Perinde ac medicamentum aliquod dicitur efficax, quod tamen interdum, ob injectum ab ægro impedimentum, efficaciam suam exserere minime potest. Quinimo ipse Salvator illud vocat Spiritum & vitam Joh. VI. 63. ob vim vivificandi ipsi divinitus inditam. Conf. Quenstedius. (c) Et Petrus illud cum semine comparat. Quemadmodum vero semen, etiamsi terræ illud non mandetur, sed in granario reconditum servetur, tamen intrinsecus virtutem habet internam, ita idem de verbo Dei cum non prædicatur aut legitur sentiendum, Conf. Vener. D. Schelguigius.

§. XXIV. Secundum pro adstruenda virtute atque efficacia insita

(a) in Decad. Disput. Jene sub Presid. Dn. D. Valentin. Velthemi hab. Controvers. VI. §. 6. (b) in Disput. jam cit. §. 4. (c) Syst. P. I. Cap. 4. Sect. II. p. 176. (d) in Synops. Artic. 3. Qu. 4.

ita & essentiali Sacrae Scripturae, argumentum, petitur a variis Effectibus supernaturalibus, eidem tributis. Adscribitur enim eidem Illuminatio Pl. XIX. 9. Act. XXVI. 18. Ephes. I. 17. 18. 2. Petr. I. 19. Regeneratio & Conversio Joh. III. 5. Gal. IV. 19. 1. Petr. I. 23. Fidei Donatio Joh. XVII. 20. Rom. X. 17. Ipsa Salvatio, tam inchoata in hac vita, per gratiam Pl. XVI. 11. Joh. V. 24. 39. VI. 69. quam consummata in altera vita per gloriam 1. Cor. XIII. 11. 1. Joh. III. 2. 1. Petr. I. 8. 9. qui certe & plurimi alii ab Excellentiss. Gerharo (a) & Summe Rev. Dn. D. Schelgwigio (b) adducti Effectus S. Scripturae, de interna, essentiali & effectiva ejusdem virtute & efficacia uberrimum perhibent testimonium. Quamvis enim jam recensiti & similes Effectus Spiritui S., seu Causae Principali, tribuendi veniant, Verbum Dei tamen seu Causa Media, qua Spiritus S. utitur ad producendos hos Effectus, excludi nec potest, nec debet. Est enim una eademque Actio, quae proficiscitur a Spiritu S. tanquam Causa Principali, & a Verbo tanquam Causa media. Neque enim Spiritus S. seorsim agit sine Verbo, nec Verbum sine Spiritu S., sed Spiritus S. agit per Verbum & Verbum agit virtute divina a Spiritu S. ipsi communicata. Nam Virtus & Potentia Spiritus S. a virtute Verbi vere & realiter non differt, cum sit una eademque virtus, quae saltem differt modo habendi. Competit enim Spiritui S. ex se, a se atque independentem, Verbo autem communicative, participative & dependenter, prout loquitur B. noster Königius (c) & D. Joh. Olearius, (d).

Tertium petitur ab Absurdo. Quodsi enim Verbum DEI hanc virtutem divinam semper sibi insitam & communicatam non haberet, nihil differret a quovis scripto humano. Quinimo Senecae illiusve prudentis licet Gentilis dicta, magno cum pondere prolata, non minus valerent, quam Verbum Dei literis consignatum. Verum hoc habet Verbum Dei, sive scriptum, sive lectum, sive auditum, praeter omni alio verbo peculiare, quod gaudeat virtute ac potentia insita illuminandi, flectendi atque movendi corda hominum, quae potentia in verbo humano frustra quaeritur. Licet autem actu secundo non
E
semper

(a) in Exeges. §. 365. (b) in Synops. Art. III. qu. 5. (c) Theol. Posit. Loc. de Convers. §. 491. (d) in Disp. de Illuminatione divina §. 14.

semper flectantur corda hominum, eo ipso tamen virtuti ac potentiae verbi Dei quoad actum primum nihil decedit. Eleganter hoc demonstratum dederunt Theologi Wittebergenses (a) hunc in modum scribentes: Was anlanget die Cooperationem Spiritus S und die Kraft der H. Schrift so kan dieselbe betrachtet werden/ vel quoad actum primum, daß sie wirken kan/und daß der Heil Geist durch sie wirken will/vel quoad actum secundum, daß sie thätig wirket / und der H. Geist dadurch in der That geschäftig ist. Der actus primus und der Wille des H. Geistes zu wirken findet sich allezeit bey der Heil. Schrift und dem Worte Gottes / wenn es gelesen oder gehört wird / soll auch ohne dieselbe niemahls betrachtet werden. Denn wie eine Art allezeit hatt physice potentiam secandi und die Arkeney potentiam curandi, obschon die Art actu secundo nicht häuet/ noch die Arkeney heilet; also hat das gelesene und gepredigte Wort Gottes hyperphysice und durch des H. Geistes Ordnung an sich potentiam illuminandi & convertendi, ob es schon actu secundo nicht alle Zuhörer erleuchtet und bekehret. Der actus secundus aber und die thätlichen Wirkungen finden sich nicht allezeit bey der Schrift und dem Wort / nicht aber als wenn der H. Geist nicht wirken wolte / durch solches gelesene Wort / oder dasselbe nicht hätte die Kraft zu wirken; sondern es geschieheth dieses allein per accidens, wegen des Unglaubens und Ungehorsams der Menschen. Haecenus dicti Theologi Wittebergenses. Plura argumenta vide apud Gerbardum (b) Thumminum (c) Calovium (d) Quesstedium. (e)

S. XXV. Ponderato igitur & hoc Porismate, eoque partim ex dicto Petrino, partim aliis Theologorum argumentis confirmato, nihil amplius restat, quam ut juxta morem in præcedentibus observatum, Adversarios, hanc quoque coelestem infestantes veritatem, Virtutique atque Efficaciae Scripturae detrahentes, commemorem. Facillimo autem possem negotio insignem eorum pertexere Catalogum, si in hoc proluxior esse vellem argumento. Verum cum animus sit, omnem fugere

(a) in Censura ad Notas Rathmanni, annexa Appendici Consiliorum & Decisionum Dedekenni p. 166. col. 2. (b) LL. de Minist. Eccles. §. 255, seqq. (c) Impiet. Weigel. pag. 22. seqv. (d) Syst. Th. P. I. General. c. 4. Sect. II. qv. 24. (e) Syst. T. I. c. 4. Sect. II. qv. 16.

fugere prolixitatem, præcipuos tantum sum adducturus. Scilicet primus, qui hanc, de insita verbi Dei divina virtute atque efficacia, doctrinam, impugnare fuit ausus, deprehenditur *Cass. Schwenckfeldius*, Nobilis quondam *Silesius*, ob foedissimos suos errores, alias etiam *Stenckfeldius* dictus, qui insigni, qua suo tempore gaudebat eloquentia, non solum magnam nominis consecutus fuerat celebritatem, sed etiam quam plurimos ad suam perduxerat voluntatem. Is cum aliis mox citandis Adversariis Fanaticis, Verbum Dei Internum ab Externo distinguens, soli verbo interno efficaciam atque virtutem divinam adscribit, exteriori vero eandem vel prorsus denegat, vel saltem objectivam & significativam tribuit. Eo enim tendunt quæ scripta reliquit: *Verbum externum est Vox humana, sonus, litera, in qua nulla virtus divina est inclusa, nec ad eam alligata*: It. *Verbum externum duntaxat de interno testatur, monet, excitat* (a) Hunc strenue hoc in errore sequitur, imo fere crassiores fovet, *Valent. Weigelius*, Pastor olim *Zschopaniensis*, in *Misnia*. Sequentes enim in libris, quos reliquit, deprehendere licet flosculos: *Der Buchstab ist ein todt Ding / machet nicht lebendig / lästet todt bleiben.* (b) *Die Heil. Schrift ist eine theure Gabe Gottes und über alle Schätze zu rechnen/doch macht sie keinen selig.* (c) Et licet interdum aliquam Scripturæ videatur adscribere operationem, tamen nude saltem significativa, objectiva & repræsentativa eadem est. Quod manifeste innuunt verba (d) *Die Heil. Schrift ist ein eusserlicher Spiegel/ sie zeuget davon was du seyst / schön oder gräulich/ krank oder gesund / sie macht dich aber nicht also / kan dir auch keine Kranckheit noch Schmerken weder stillen noch heylen.* Qui plura ejusmodi monstrosa chartaque minime digna ex *Weigelio* desiderat legere elogia, adeat *B. D. Thummium*, (e) & *Feurbornium* (f) Horum Duumvirum legit vestigia, *D. Andreas Osiander*, *Norimb.* (g) Is enim pariter duplex Verbum internum & externum propugnavit, per internum ipsum filium Dei intelligens, de externo vero hunc in mo-

E 2

duna

(a) *T. I. Op. p. 765. T. II. p. 779.* (b) *Vid. Postill. P. II. p. 223. 224. 225.* (c) *P. II. Postill. p. 238.* (d) *im güldnen Griff. c. 10. p. 59.* (e) *in Impiet. Weigel. Error. 6. 7. 8. 9. 10. II.* (f) *Fasc. Disp. Theol. 6. Disp. 3. Th. 4. & 5.* (g) *im getreuen Nürnb. Nächstschlag.*

dum differens: Das Wort das man uns prediget und Gottes Wort nennet; das ist nur eine aufwendige Stimme und menschlich Wort; das durchs Menschen Mund ein Anfang und bald ein Ende nimmt; das äußerliche Wort ist nicht das inwendig; es zeiget aber an uni macht offenbare. Quid Sociniani, Arminiani, Nova Prophetæ, quo nomine Enthusiastæ, Quakeri, Tremulantes in Anglia veniunt, Pontificii & Georg. Calixtus de Virtute Verbi Divini statuunt, brevitatis studiosus, sicco prætereo pede. Vid. Quenstedtium. (a) acutissimum D. Schomerum (b) M. Mich. Illmixium, (c)

§. XXVI. Animum tamen intendere adhuc jubeor, ad celeberrimos suis temporibus Duum viros, in græmio Ecclesiæ Luth. natos ac educatos, puto M. Hermannum Rathmannum, & Casp. Moevium utrumque olim verbi divini Ministrum, illum in florentissima Gedanensium Civitate, hunc apud Cænaenses in Lithvania, quæ controversia sua de Virtute & Efficacia Scripturæ haud exiguas dederunt turbas. Scilicet ipse Rathmannus Scripturam S. pro nudo instrumento passivo habens, eidem in se & extra usum omnem denegabat virtutem intrinsecam illuminandi, convertendi, adserens eandem tantum esse externam, mere *Wort*, a Spiritu S. eidem & quidem in usu salutari demum inditam ac omni momento separabilem. Hinc eam comparat securi, quæ non scindat aut secet, nisi a fabro lignario elevetur, eidemque vis scindendi ac secandi quasi indatur. Verba ejus prout Quenstedius ea allegat, aus der Erinnerung / p. 13. 44. 49. Sunt sequentia: Die Art hauer nicht; wo nicht der Holzhauer der Art erstlich eine Kræfte und Nachdruck giebet; die Schrift befehret nicht; wo nicht der H. Geist das Gnaden-Licht und seine Kræfte zur Schrift bringe. Egidem interdum videri vult linguam assumere orthodoxam & virtutem ac efficaciam Scripturæ tribuere; verum si verba ejus accuratiori pensitentur trutina, eadem a Rathmanno Scripturæ tributa virtus & efficacia non est effectiva & productiva, quæ ab orthodoxis defenditur, sed mere objectiva & significativa. Quare etiam eandem Statuæ comparare Mercuriali non erubescit, cujus officium

non

(a) Syst. P. I. Sect. II. C. 4. qv. 16. (b) in Colleg. recentissim. Controv. Cap. 2. §. 17. (c) Disp. cit. de Efficacia Verb. C. II. §. 1. seqq.

non aliud, quam via ostensio. Verba ejus (a) fluunt sequentem in modum:
Ist nun die Schrift nitze zur Besserung / so muß sie ja einige Wir-
kung in sich haben. Paulus sagt *Philip. 3. v. 1.* daß ich euch immer ei-
nerley schreibe / verdreust mich nicht / und macht euch desto ge-
wisser. Hat nun die Schrift dieses in sich / daß sie gewisse macht / so
muß sie ja etwas wirken: Eine Hand die am Wege auffgerich-
tet / die wirket ja so viel / daß man wisse wohin man gehen soll /
also weil die Schrift ein Wegweiser zum ewigen Leben ist / so
ist sie ja ein wirkendes Merkmal den rechten Weg zum Le-
ben zu wandeln. Et (b) So viel hat nun die Schrift als
Schrift betrachtet in sich / daß sie zeigt / lehret / weist ob-
jectiv, wie in einem wahrhaftigen Zeugniß / Gemälde / con-
trastur und Zeichen / was Gottes Wesen / Willen und un-
ser Gebühr sey. Rathmanni vestigiis institit in plerisque eadem-
que inflavit tibi, *Cass. Movius*, Verbo Dei seu Scripturae S. pa-
riter extra usum, actu primo omnem detrahens virtutem atque ef-
ficaciam intrinsecam, atque adserens, eandem in usu legitimo, ac-
cessoriam saltem esse, ex peculiari operatione Spiritus S. Eo ten-
dunt ejus verba: (c) Ausser dem Gebrauch hat Gottes-
Wort die Krafft der Bekehrung nicht bey sich / weder actu pri-
mo noch secundo. Concludit tandem l. c. his verbis: Daß aber
ausser dem rechten Gebrauch dem Worte Gottes die göttl. Gnaden-
Krafft einverleibet sey / kan aus der Bibel mit einem titul nicht
erwiesen werden. Et (d) Im rechten Gebrauch kommt die
göttliche Bekehrungs Krafft zum Wort von aussen und gehöret
nicht zum Wesen des Worts. Plures ejusmodi flosculos ex scri-
ptis Movii opera excerptis insigni jam laudatus B. M. Mich. Ulmi-
nius (e) Hilse jam recentitis in hac Controversia Adversariis afflock-
avit se quoque D. Spenerus. Ita enim (prouti verba ejus aus den
Anspruchs Predigt. p. 51. allegat Summe Rev. Dn. D. Schelgvi-
gus (f) scribere non erubescit: So lange die Schrift da ist
Buch.

(a) In Pref. des Gnadenreichs a. I. p. 8. (b) ead. pref. b. i. p. 1.
(c) in dem kurzen Bekenntniß vom Worte Gottes und
dessen Krafft. cap. 8. p. 38. (d) Cap. 9. p. 45. (e) in
Disput. cap. 2. §. 13. (f) Supplem. Art. III. Antith. 3.

Buchstaben liegt / und nicht gehört oder gelesen wird / wie sie allein in dem Blatt stehet / da ist sie freylich nicht die Krafft Gottes / sondern in solcher Maas und auff solche Weise in todtes und unkräftiges Werk / nicht anders als die Ruthe Moses wo sie etwa Abends würde hingelegt seyn / nur eine blasse Gerte oder Holz war / aber wo sie Moses auffhub und auff göttl. Befehl brauchte / so war sie das Instrument, dadurch Gott Wunder that. Ceterum quoad hanc controversiam legantur Theologi jam citati Witebergenses apud Dedekennum, (a) & insigni conscriptus acumine tractatus pientissimi atque in Domino, haud ita pridem, magno cum moerore universæ Ecclesiæ Lutheranæ Orthodoxæ defuncti, dexterimi acutissimique Theologi Gedanensis Dn. M. Friderici Christ. Bacheri, cui titulus: *Rathmannus Redivivus*, in quo quæst. 3. & 4. hanc controversiam accurato subicit examini. Add. Magnif. Dn. D. Wernsdorffius, (b) & Summe Venerabilis Dn. D. Schelgwigius. (c)

§. XXVII. Hæc sunt B. L. quæ pro tenuitate ingenii mei atque judicii ad tentandos profectus meos qualescunque Theologicos, studiorumque Patronis ac omnibus Bonis reddendam rationem, præsentis Disputatione, oculis subicere tuis volui, potui. Quodsi quædam in ea occurrant, voto tuo atque desiderio respondentia, accepta eadem feras, velim, optimis gravissimisque olim & hodie florentibus nostris Theologis, ex quorum scriptis plurima sunt deprompta; si vero quædam minus commode fuerint dicta limaque opus habeant accuratiore, condones ea, virium imbecillitati. Ceterum pedem hic figo, D. O. M. soli cœlestis Verbi Autori, Propagatori atque Vindici gratias ac laudes decernens sempiternas, pro concessa clementer, in opere hocce expediundo, Spiritus S. Gratia. Faxit divina misericordia, ut huic Verbo, tanquam soli & unica Normæ nostrarum Actionum omni tempore inhæreamus, juxta illud omnia nostra Credenda Agendaque in Nominis divini gloriam exigamus, atque idem quotidie diligenter scrutantes pieq. meditantes, Efficaciam ejus atque dulcedinem in nostris persentiamus cordibus. O DEUS Clementissime conserva nobis Verbum tuum, est enim illud nobis in gaudium & lætitiâ cordis nostri.

(a) in Consil. Theol. App. p. 163. (b) Disp. de Verbo Dei scripto §. 51, seqq. (c) Synops. Art. III, Qu. 4.

Gratiam DEI & Domini nostri JE-
SU Christi perpetuam omni-
bus, qvi ipsum amant
in Virtute.



Vanqvam non ita ra-

ri sint, qvi emendicata circumfe-
runt testimonia, qvorum ar-
gumento digne aut non vixerunt
ante, aut postea indigne agunt,
atque suæ laudationi, quam o-
stentant, iniquam Lectorum,

conciliant censuram, id quod deterrire poterat.
Veritatis Amatores, in publicum porro testi-
monium vocatos; nihilominus iis, qui cognitæ
sunt virtutis & modestiæ industriæque ad omnis
generis eruditionem probe attentæ, negari nec de-
bent, nec possunt, quas petunt & merentur com-
mendationes, ejus Ordinis, cui notiores esse per
diuturnam conversationem possunt. Hinc si
cuiquam, testimonium in conspectu DEI verum
a Nobis Vitæ & Studiorum in hac Academia no-
stra tractatorum petenti, prompte libenterque assur-
reximus, hic profecto est, cui hoc ex toto animo
nostro reddimus, ac ut suæ eruditissimæ Disputa-

) 3

tionî

tioni annectat, lubenter permittimus; Nobiliss &
 Clariss. DN. **DANIEL MANNIUS**,
 Elbinga Borussus, Optimi Bea-
 tiqve Parentis, Presbyteri olim atqve
 R. Ministerii Elbingens. Senioris
 fidelissimi & vigilantissimi, Filius æ-
 mulus felicissimus. Is enim, postquam ex Athenæo
 Gedanens. Illustri, in primis disciplina **Maxime**
Venerabilis, & Excellentissimi
 DN. D. SCHELGVIGII, FAUTORIS FCtis nostræ
 & in Christo FRATRIS colendissimi, atq; de Orthodoxa
 Ecclesia Theologi meritissimi, PATRONI Sui integer-
 rimi, celeberrima bonorum ingeniorum ad eru-
 ditionem atqve virtutem formatrice, ea sacrarum
 doctrinarum scientia imbutus huc accesserat, quæ
 in rarioribus poni omnino merebatur, eandem in-
 defesso studio, diligentia nunquam interrupta, le-
 gendo audiendoqve privatim publiceque Doctores
 Academiæ nostræ Venerabiles, D. FECHTIUM
 totius Academiæ SENIOREM, QVISTORPIUM,
 B. GRUNENBERGIUM, in Domino defunctum
 GRAPIUM, KRAKEWITZIUM, ENGELKENI-
 UM, SCHOTTERUM atqve ÆPINUM, ita ad-
 auxit, ut inter vera Academiæ nostræ ornamenta
 jure suo meritoqve ab universis numeraretur. U-
 biqve & dedit operam ne ad scopulos, quos recen-
 tiores quidam Novatores, vere Barbari, Theologiæ
 nostræ sanæ ponunt, allideret. Hæc dum testa-
 mur simul ornamentum adducimus his omnibus
 majus

majus pretiosiusque, tenerrimum virtutum omnium
 complexum, in quibus Principatum obtinet infu-
 cata, non Pietistica Pietas & sanctæ erga DEUM
 Religionis Amor. Cujus rei præcipue luculentis-
 simus testis Collega Noster DN. QVISTORPIUS
 est; in cujus ædibus liberorum suorum a primo in-
 gressu Civitatis nostræ Ephorus dexterrimus &
 Commensalis modestissimus substitit: quique vir-
 tutes MANNII sui nunquam satis amandas vel præ-
 dicandas, quotidiano oculo usurpavit. Eruditio-
 nem præterea haud vulgarem multis elegantibus
 apprimeque piis, in nostra Ecclesia habitis sermoni-
 bus sacris, perquam copiose toti Civitati Nostræ
 probavit, ut omnino omniqve jure inter Candida-
 tos R. Ministerii numeraretur. Adest & jam
 præsens Disputatio ab ipso, nullo, nisi DEO ju-
 vante, conscripta, in qua non ingenii tantum
 sui penitissimos profundosque recessus, judicii-
 que rectitudinem non vulgarem & quotidianam, verum
 quoque solidam & fundamentis immotis innixam
 ceu clarissimo documento demonstravit. Ex qui-
 bus eruditionis primitiis quid sibi posthac sive Ec-
 clesia, sive Res Literaria promittere a MANNIO
 nostro possit, luculenter enitescit. Nec de hoc du-
 bitari potest, cum a prima juventute purioris re-
 rum divinarum notitiæ, cum DEI timore, ex
 cunctis actionibus elucente, tanta tamque amica in
 MANNIO nostro inventa fuerit copulatio. Fa-
 xit DEUS, qui hunc eidem inspiravit animum, &
 ad hanc eruditionem, pariter atque virtutes divino
 suffultum auxilio deduxit, ut præsidii subinde

majoribus instruat, divinæ gloriæ promovendæ.
Insuper & bonis omnibus, quibus Virtus & Literæ
cordi sunt, ut ad fructum aliquando salutarem fe-
rendum Eundem foveant, provehantqve, enixis-
sima opera commendamus.

Per script. Rostochit
Sub Sigillo Facult. Theol.
d. 7. Sept. A. 1714.

**Decanus, Senior,
ceterique Doctores
Facult. Theolog. in
Acad. Rostochiensis.**



Die so genandte
GALANTE ERUDITION.

Was heißt heut *erudit*? von Büchern schwagen können
Und von Fürtreffligkeit / so Dieser / Jener hegt.
Was hie sich in der Welt / und was sich dort zuträgt.
Was ländlich sittlich sey / was *Curieux* zu nennen.
Kommt's aber an Den Mann / daß Er sich zeigen sol/
Ist alles Weißheit-Leer / galanterien voll.

So geht denn allgemach Gelehrsamkeit zu Bette/
Die gründlich heißen mag. Auch Glaub' und Deutsche Treu/
Bleib'n hie und dort zurück. Was folgt drauf? Barba-
Die mit der *Albert* tāt soll streiten umb die Wette. (rey/
Das heißt *galant* gelehrt. Trifft denn nicht richtig ein/
Was man im Wahrwort sagt: Welt wil ge-
teuschet seyn.

Was hilfft es / hin und her / durch Städte und Länder / reisen?
Daß allenthalben man und nirgend sey zu Haus.
So schwizet mancher / was er vor gefasset / auß/
Und kan zuletzt nichts mehr / als leere Beutel / weisen.
Ziel sehen frommet nicht; Ziel lernen bringt es ein/
Daß man kan weiß und flug / ohn Geld / Vergenden / sein.

Mein! wenn schickt Engelland zu uns her seine Söhne?
Daß sie das *Homiliren* in Deutschland lernen soll'n.
Sind denn wir Deutschen nicht / wenn wirs nicht
leugnen woll'n/

Von Rechtes wegen werth / daß Engelland uns höbne?
Weil tausende dafür man wendt bey Ihnen an/
Was man fürs zehnde Part in Deutschland haben
kan. Wo

Wo nicht/so ist bisher manch' Edle Stadt betrogen/
Die mit den Ibrigen gang wol vergnüget war/
Und braucht in Deutschland nicht exorscher Redner Schaar.
Wird denn die Weißheit nur bey Frembden eingesogen?
Und wie? Ist Gottes Geist uns Deutschen gar nicht hold?
Daß Er zehnfältig mehr auff Andern ruhen solt.

Doch/was zum Staat gehört/wil man gern Denen lassen/
Die nicht in Deutschland nur erler'n der Vöcker Brauch.
Nein! Holland/Engelland/und Frankreich/Welschland auch
Muß zeigen/ was man sol/ zum künfft gen Nutzen/ fassen.
Ein Gottesgelehrter braucht zum heiligen Ampt
nicht mehr /

Auß/ daß Unsträffigkeit Ihn zier' und reine Lehr.
und dahin/ wehrter Freund! führt Er auch Seine
Sachen.

Sein Deamantner Fleiß bringt Weißheit an das Licht.
Ein Stein/ der öffters wird gewelget/wächset nicht.
Jahr auß Jahr ein studirn muß solche Leute machen/
Von Denen man zulezt mit Wahrheit rühmen kan:
Wers thut/ Der heißt und ist ein Grundge-
lehrter Mann.

Wolte bey (S.T.) Hn. MANNII Gelahrten Theologischen Disputation,
dem unpartheischen Urtheil unfascinirter Gemüther überlassen; Dem
Hn. Auctori aber Seiner Gründlichen Gelehrsamkeit wegen/so Er/
durch vieljährigen Academischen Fleiß/ aus Rostock dabon trägt/
von Herzen adplaudiren

Ein nicht unbekandter Freund
aus der Frembde.

J. F. P. C. G.



en liegt / und nicht gehört oder gelesen wird / wie sie als
 Blatt stehet / da ist sie freylich nicht die Kafft Gots
 in solcher Maasß und auff solche Weise in todtes
 es Werck / nicht anders als die Ruhe Mosi wo
 es würde hingelegt seyn / nur eine blasse Berthe
 aber wo sie Moses auffhub und auff göttl. Bes
 war sie das Instrument, dadurch Gott Wun
 ad hanc controversiam legantur Theologi jam citati
 lekennum, (a) & insigni conscriptus acumine tra
 in Domino, haud ita pridem, magno cum
 e Lutheranæ Orthodoxæ defuncti, dexter
 ri Gedanensis Dn. M. Friderici Christ.
 Bacheri, cum mannus Redivivus, in qvo qvæst. 3. & 4.
 hanc contro Subjicit examini. Add. Magnif. Dn.
 D. Wernsdorffii Venerabilis Dn. D. Schelgwigius. (c)
 §. XXVII. quæ pro tenuitate ingenii mei at
 que judicii ad ten meos qvalescunqve Theologicos,
 studiorumqve Patron onis reddendam rationem, præ
 senti Disputatione, is volui, potui. Qvodsi qvæ
 dam in ea occurrant, desiderio respondentia, ac
 cepta eadem feras, veli fimmisqve olim & hodie flo
 tentibus nostris Theologi ptis plurima sunt deprom
 pta; si vero qvædam min erint dicta limaqve opus
 habeant accuratiore, condon ambecillitati. Ceterum
 pedem hic figo, D. O. M. soli ri, Propagatori atqve
 Vindici gratias ac laudes decerne ro concessa clemen
 ter, in opere hocce expediundo, Sp Faxit divina mise.
 ricordia, ut huic Verbo, tanqua Norma nostrarum
 Actionum omni tempore inbareamus mia nostra Cre
 denda Agendaqve in Nominis divini t, atqve idem
 quodidie diligenter scrutantes pieq, mea am ejus at
 que dulcedinem in nostris persentiamus co US Clemen
 tissime conserva nobis Verbum tuum, est en gaudium
 & letitiam cordis nostri.

(a) in Consil. Theol. App. p. 163. (b) Disp. de
 scq. (c) Synops. Art. III. Qu. 4.
 (10)